This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

RAL
8°

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA SANCTORVM ECCLESIÆ CATHEDRALIS, & Diœcesis Barcinonensis, juxta formam Breviarii Romani à Sacra Rituum Congregatione Auctoritate Apostolica approbata.

BARCINONE:

Ex Officina JOANNIS PIFERRER, in Platea Angeli, Anno 1739.

Digitized by Google

APPROBATIO OFFICIORUM Ecclesiæ, & Diœcesis Barcinon. unà cum Privilegio recitandi Officium Si Eulaliæ cum Octava eo die, in quem inciderit, etiamsi venerit in Quadragesima.

Officia hujusmodi propria Sanctorum Ecclesiæ Barcinonen. unà cum Officio proprio cum Octava B. Eulaliæ ejusdem Ecclesiæ Barcinonen. Patronæ, & Advocatæ, juxta antiquam, & immemorabilem dictæ Ecclesiæ consuetudinem cum Octava celebrando, eo die, quo inciderit, etiamsi venerit in Quadragesima, ut in præsenti libello annotatur: ac etiam cum Officio Angeli Custodis, à S. R. Congr. sub die vigesima septima Septembr. 1608. approbato, ad instantiam R. P. D. Raphaelis Episcopi ejusdem Ecclesiæ in eadem S. R. Congr. proposita, & de ejusdem Sac. Congreg. ordine recognita, & emendata, ac subscripta ab Illust. & Reverend. D. Roberto tit. sanctæ Mariæ in via S. R. E. Presbytero Cardinali Bellarmino, eadem Sac. Rit. Congreg. approbavit. Et ut in Civitate, & Diœcesi Barcin. liberè, & licitè recitari possint, & pro majori commoditate, etiam imprimi valeant, licentiam, & facultatem dedit, & concessit. Die sexta Decembris 1608.

Dominicus Episc. Ostien. Card. Pinellus.

Locus Si ✠ gilli.

I. P. Mucantius Secret. Congreg.

RA-

Digitized by Google

RAPHAEL DE ROVIROLA, Episcopus Barcinonen. omnibus suæ Diœcesis horarias preces ex munere recitantibus salutem in Domino sempiternam.

AD ea Episcopus suæ solicitudinis partes intendere debet, per quæ Dei Opt. Max. & Sanctorum cultus in Missis, & Officiis Ecclesiasticis sui Episcopatus in dies augeatur. Cum igitur in hac nostra Diœcesi Barcinonensi, multorum celebrentur festa Sanctorum, qui vel Patroni, vel Titulares, vel Naturales sunt, vel eorum notabiles Reliquiæ in eadem reperiuntur, & eorum Officia propria, quæ antea in Ecclesia Cathedrali, & in tota nostra Diœcesi, secundùm antiquum nostrum Barcinonense Breviarium recitabantur, post admissum Breviarium Romanum ex Decreto Sacrosancti Concilii Tridentini restitutum, jussuque Pii V. Pontif. Max. editum, ab anno fere millesimo quingentesimo sexagesimo nono, non fuerint recitata; sed Officia dictorum festorum semper fuerint assumpta de communi Sanctorum, & festorum dicti Breviarii Romani; multorum virorum pietate, ac religione præstantium fuit ardens desiderium, ut peculiaris libellus Officiorum, & Missarum eorumdem ad formam Breviarii Romani componeretur, quo propria ipsorum Officia publicè, & privatim à personis Ecclesiasticis recitarentur. Nos igitur multorum Archiepiscoporum, & Episcoporum vestigiâ insequendo, qui in suis Provinciis, & Diœcesibus,

Digitized by Google

DE LECTIONE SANCTORUM in Martyrologio.

NOmina Sanctorum, Translationes, Mysteria, & eorum dies Octavi (si cum Octava celebrentur) semper die præcedenti, primo loco in Martyrologio leguntur, distis Kalendis, & pronunciata Luna, etiamsi nomina Sanctorum, Translationes, vel Mysteria, non sint in Martyrologio; vel sint in secundo, tertio, vel ultimo loco descripta: si autem Officium transfertur, non itidem pronunciatio Sancti in Martyrologio transferetur, sed suo statuto die, & loco primo, secundo, vel ultimo, sibi in Martyrologio assignato, absque situs mutatione pronunciatur. Festa autem, quæ in Martyrologio, diei non sunt affixa, utpotè quædam Translationes, in aliqua Dominica celebrandæ, leguntur pridie, quàm celebrentur.

Tandem Festa mobilia, in Rubricis Martyrologii descripta, utpotè Dominica Septuagesimæ, dies Cinerum, &c. semper primo loco leguntur, etiamsi in eis de S. Eulalia recitetur. Similiter Vigiliæ, & dies Octavæ, non eodem locum in lectione Martyrologii aliis festis propriis SS. & ita semper primo loco pronunciandas esse asserit Carolus Guyer.

Hæc omnia, in aliis festis Ecclesiarum, & locorum propriis servantur.

Digitized by Google

PROPRIUM SANCTORVM ECCLESIÆ CATHEDRALIS, & Diœcesis Barcinonensis.

Die vii. Ianuarii.

In festo sancti Raymundi Confessoris, Ordinis Prædicatorum.

Duplex majus, & Patronus minor in Civit. & extra Civit. Dup. min.

Omnia de Commun. Conf. non Pont. præter ea, quæ hic habentur.

In 2. Vesp. Epiphaniæ fit commemor. S. Raymundi. Ant. Similabo. ℣. Amavit.

Oratio.

DEus, qui B. Raymundum Pœnitentiæ sacramenti insignem ministrum elegisti, & per maris undas mirabiliter traduxisti: concede, ut ejus intercessione, dignos pœnitentiæ fructus facere, & ad æternæ salutis portum pervenire valeamus. Per Dominum nostrum.

IN I. NOCTVRNO.

Lectiones in Civitate, de Communi Justus; *extra verò Civit. de 2. die Octavæ Epiphaniæ* Veritatem.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

BEatus Raymundus Barcinonensis ex nobili fa-

Digitized by Google

familia de Peñafort, Christianæ religionis rudimentis imbutus, adhuc parvulus eximia animi, & corporis indole magnum aliquid portendere visus est. Nam adolescens humaniores litteras in Patria professus, Bononiam se contulit, ubi pietatis officiis, ac Pontificio, Civilique juri sedulò incumbens, & Doctoris laurea insignitus, ibidem sacros Canones magna cum hominum admiratione est interpretatus. Ejus virtutum fama pererebescente, Berengarius Barcinonensis Episcopus, cum Roma suam ad Ecclesiam rediret, eum conveniendi causa Bononiam iter instituit, & tandem summis precibus, ut secum in Patriam revertereretur, obtinuit. Mox ejusdem Ecclesiæ Canonicatu, & Præpositura ornatus, universo Clero, & populo integritate, modestia, doctrina, & morum suavitate præfulsit; ac Deiparæ Virginis, quam singulari pietatis affectu venerabatur, & honorem, & cultum semper pro viribus auxit.

℟. Honestum fecit illum.

Lectio v.

ANnum circiter quinquagesimum agens, in Ordine Fratrum Prædicatorum, solemni emissa professione, ut novus miles, in omni virtutum genere; sed præcipuè in charitate erga egenos, & maximè captivos ab infidelibus detentos, se exercuit. Unde, cùm ejus hortatu sanctus Petrus Nolasco (cujus ipse confessiones audiebat) suas opes piissimo huic operi conferret, tum eidem, tum beato Raymundo, & Jacobo primo Aragoniæ Regi apparens beatissima Virgo, gratissimum sibi, & Unigenito Filio suo fore dixit, si in suum honorem institueretur Or-

do Religiosorum, quibus Captivos ex Infidelium tyrannide liberandi cura incumberet. Quare collatis inter se consiliis, Ordinem beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum fundaverunt: cui beatus Raymundus certas vivendi leges præscripsit ad ejusdem Ordinis vocationem accommodatissimas, quarum approbationem aliquot post annos à Gregorio nono impetravit, & dictum sanctum Petrum primum Generalem Ordinis Magistrum, suis ipse manibus, habitu eodem indutum, creavit.

℟. Amavit eum Dominus.

Lectio vi.

AB eodem Gregorio Romam accersitus, & Capellani, ac Pœnitentiarii, & Confessarii sui munere decoratus, ejusdem jussu Romanorum Pontificum decreta, in diversis Conciliis, & Epistolis sparsa, in unum Decretalium volumen redegit. Archiepiscopatum Tarraconensem ab ipso Pontifice sibi oblatum constantissimè recusavit. Et totius Ordinis Prædicatorum Generale Magisterium, quod per biennium sanctissimè administraverat, sponte dimisit. Jacobo Aragoniæ Regi Sacræ Inquisitionis Officii suis in regnis instituendi auctor fuit. Multa patravit miracula, inter quæ illud clarissimum, quod ex Insula Baleari Majori Barcinonem reversurus, strato super aquas pallio, centum sexaginta milliaria sex horis confecerit, & suum Cœnobium januis clausis fuerit ingressus. Tandem propè centenarius, virtutibus, & meritis cumulatus obdormivit in Domino anno salutis millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, quem Clemens octavus in Sanctorum numerum retulit.

℟.

Digitized by Google

℟. Iste homo.

IN III. NOCTVRNO.

Homilia sancti Gregorii Papæ, in Evang. Sint lumbi, *de Commun.*

In Laud. & 2. Vesp. fit comm. Octavæ Epiphaniæ.

Die xiii. Februarii.

In festo sanctæ Eulaliæ Virg. & Mart. ac Patronæ.

Duplex 1. clas. cum octava.

Si hoc festum venerit in feria quarta Cinerum, vel in Dominica prima, vel aliis Quadragesimæ, non transferetur, sed fit de eo cum commemoratione, & ultimo Evangel. feriæ, seu Dominicæ occurrentis: & fit cum Octava infra Quadragesimam, ex Privilegio Sedis Apost.

Omnia de Commu. Virg. & Mart. exceptis his, quæ hic sunt propria.

Oratio.

DEus, qui nos martyrii beatæ Eulaliæ virginis, & martyris ejus solemnitate lætificas: concede propitius; ut gloriosissimis ejusdem meritis, & terrena nobis proficiant, & cœlestia desiderata provenient. Per Dominum.

IN I. NOCTVRNO.

Lectiones de Epistola 1. B. Pauli Apost. ad Corinth. cap. 1. De Virginibus præcepcum Domini, &c. *ut in Brev. Rom.*

IN II. NOCTVRNO.

Ex D. Isidoro, D. Fulgentio, Adone, & aliis.

Lectio iv.

EUlalia virgo Barcinonensis nobilibus parentibus nata, & in Christi fide, ac religione educata, cùm decimum quartum suæ ætatis annum attingeret, & in eàdem tenera ætate desiderio martyrii flagraret, divinitùs inspirata, se ipsam sponte, præsidi Daciano Barcinonæ persecutionem adversus Christianos exercenti, ad martyrium offerre decrevit. Cùmque ceri, tribus

quas ferè milliaribus puerul à Barcinonensi urbe manerent, inde parentibus, atque domesticis id ignorantibus, clam recedens, Barcinonem pervenit. Ubi prætorianam domum ingrediens, Præsidem pro tribunali sedentem adit: & stans coram eo, sic ita voce est eloquuta: Ut quid, Daciane, audes Christianorum sanguinem injustè fundere, & eosdem ad falsos venerandos deos cogere? Unus est solus verus Deus omnipotens, omnium Creator, & Dominus, quem Imperatores Diocletianus, & Maximianus, & tu, & omnes homines venerari obligantur. Quomodo ergo homo cùm sis, non times Deum unum omnipotentem offendere? Aut cur Christianos pervertere niteris, ut Deum verum deserant, & falsa dæmonum simulacra, opera manuum hominum fabricata, colant? Ad quam Dacianus, ei novitate turbatus, dixit: Quæonam es tu, quæ contra Imperatoriam majestatem, & ministrorum suorum debitam reverentiam, ausa es talia publicè proferre verba? Cui Virgo: Ego sum Eulalia, ancilla Jesu Christi, qui & Dei Patris, & Mariæ Virginis matris est Filius, qui solus est Rex regum, & Dominus dominantium: & cui divinus jure debet exhiberi honor, & cultus, non autem idolis.

℟. Propter veritatem.

Lectio V.

HAc gloriosa fidei confessione, quasi splendenti luce excæcatus tyrannus, tum odio in Christianos commotus, tum ira contra virginem concitatus, eam illicò alligari, & in custodiam deduci, ibidemque crudeliter verberari imperat. Quod tormentum cùm constanti animo, & lætoque vultu tenera

ra virgo, multis id videntibus, atque mirantibus sustinet, ferina rabie contra ancillam Christi magis concitatus Dacianus, omni tormentorum genere Eulaliam Christianam debere excruciari decernit. Igitur primùm Eulalia in equuleo posita ferociter dilaceratur. Mox ungulis ferreis tota excarnificatur. Facibus, flammisque ardentibus, ad ejus virginale pectus, lateraque admotis, exuritur. Oleum super ejus exustum, plagatumque corpus infunditur: quo totum perunctum, supra vivam calcem extenditur, ac volutatur, ut ardore calcis, interiora virginis viscera acerbissimè torquerentur. Liquatum, ac fervens plumbum supra virgineum corpus effunditur. Ac totum ipsum corpus acutis testaceis fragmentis confricatur. Ne autem sensus aliquis proprio careret dolore, per ejus nares accetum, cum attrita sinapi permixtum immittitur. Et candelis denique accensis, castissimi virginis oculi adurentur. Quare nihil non tentat, nihil non facit ingeniosa, sævaque tyranni malitia, ut à vero cultu, Dei cultricem abducat. Cæterum quò magis crescit tortoris sævitia, eò magis augetur in sponsa Christi constantia, fortitudo, & gratia. Etenim Eulalia in cruciatibus Deum orat, eidemque læta gratias agit: dumque tortores in inferendis tormentis fatigantur, ipsa nec tristitia affecta, nec molestia fracta, omnia non solum æquo, verum etiam alacri animo perferebat.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

NIhil jam se posse, vi tormentorum contra Eulaliam sperabat Dacianus. Ad infamiam ergo, & ignominiam callidè suum vertit obstinatum ani-

animum, ut experiatur, si hoc modo valeat de ea triumphare. Igitur castam, & verecundam virginem, nudam corpore, exustam, dilaceratam, oleo, calce, & cruore sanguinis conspersam, ac deformatam, per vicos, & plateas civitatis, publicè, coram omnium oculis, circumferri jubet. O acerbum, crudeleque spectaculum! Sed qui animalia terræ, & volatilia cœli vestit Deus, sponsam suam Eulaliam mirabilibus ornavit indumentis. Nix enim illicò de cœlo cecidit, quæ sacræ virginis corpus mirandum in modum contexit: quæque cœlitus suo contemperato frigore, virgini esset refrigerio, & suo splendenti candore, eidem simul esset ornamento. Quàm sponsa Christi, candida, & rubicunda per loca publica gloriosè incedens, & verè de tyranno triumphans, omnibus visa fuit admirabilis, & speciosa! Fremebat Dacianus infractum videns virginis animum, & jam quasi de victoria desperans, eam cruci affigi imperat. Verùm in cruce pendens Eulalia, cœlesti recreatur gaudio, quod se cruci affixam, Christoque simillimam videt. Neque ibidem, omnium admiratione, Deum glorificare cessat. Denique jubente Præside, pridie Idus Februarii securi percutitur, & geminata martyrii, atque virginitatis corona, nobile certamen exegit. Cujus anima ad instar columbæ, è corpore egrediens, cœlum à multis visa est conscendere. Corpus verò à Christianis honorificè extra Barcinonis urbis mœnia sepelitur.

℣. Afferentur Regi.

IN III. NOCTVRNO.

Homilia sancti Gregorii Papæ, in Evang. Decem virginibus, *de Commun.*

Si hoc festum venerit in Quadragesima, nona Lectio erit de homil. feria occur. & com.

DIE XIII. FEBRVAR.

De secunda die infra Octavam S. Eulaliæ.

Advertendum, quod si dies aliqua infra Octavam, vel ipsa Octava, venerit in feria quarta Cinerum, vel in aliqua Dominica Quadragesimæ fit de istis: de Octava autem tantùm fit commemoratio. Si verò occurrerit in aliis feriis Quadrages. fit Officium de infra Octav. vel Octavæ, ut infra, cum commemoratione Feriæ Quadragesimæ. Et tunc ad Matutinum in 1. Noct. repetuntur Lectiones 1. Noct. de Commun. Virg. ut in die festi: & pro 9. Lect. ponitur homilia ejusdem Feriæ Quadragesimæ. Si autem venerit ante feriam quartam Cinerum, in 1. Noct. semper ponuntur Lection. de Script. occur.

IN II. NOCTVRNO.

Dicuntur Lectiones de Commun. Virginum.

Sermo sancti Ambrosii Episcopi.

Libro 1. de Virginibus.

Quoniam hodie natalis est virginis, &c. *vt in Brev. Romano.*

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vii.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Cap. 25.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso, & sponsæ. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorii Papæ.

Homil. 12.

VNde, & aptè subditur. Quinque fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: prudentes autem acceperunt oleum in vasis suis cum

cum lampadibus. Per oleum quippe nitor gloriæ designatur. Vascula autem, nostra sunt corda, in quibus ferimus cuncta, quæ cogitamus. Prudentes ergo oleum in vasis habent, quia nitorem gloriæ intra conscientiam retinent, Paulo attestante, qui ait: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Fatuæ autem virgines oleum secum non sumunt, quia gloriam intra conscientiam non habent, dum hanc ab ore proximorum quærunt.

℟. Hæc est virgo sapiens.

Lectio viii.

NOtandum verò, quòd omnes lampades habent, sed omnes oleum non habent: quia plerumque bona in se opera cum electis & reprobi ostendunt; sed soli ad sponsum cum oleo veniunt, qui de iis, quæ foris egerint, intus gloriam requirunt. Vnde per Psalmistam quoque de sancta electorum Ecclesia dicitur: Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes, & dormierunt. Quia dum venire Judex ad extremum judicium differt, electi, & reprobi in mortis somno sopiuntur. Dormire etenim mori est. Ante somnum verò dormitare, est ante mortem à salute languescere: quia per pondus ægritudinis, pervenitur ad somnum mortis.

℟. Media nocte.

Lectio ix.

MEdia autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. De adventu sponsi clamor in media nocte fit: quia sic dies judicii subrepit, ut prævideri non valeat, quando venit. Vnde scriptum est: Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Tunc omnes virgines surgunt: quia & ele-

electi, & reprobi à somno suæ mortis excitantur. Lampades ornant: quia sua secum opera numerant, pro quibus æternam recipere beatitudinem expectant. Sed lampades fatuarum virginum extinguuntur: quia earum opera, quæ clara hominibus foris apparuerant, in adventu Judicis intus obscurantur; & à Deo retributionem non inveniunt: quia pro eis receperunt ab hominibus laudes, quas amaverunt.

Te Deum laudamus.

In Vesp. fit com. S. Valentini Mart.

DIE XIV. FEBRVAR.

De tertia die infra Octavã.

IN I. NOCTVRNO.

Dicuntur Lect. de Feriocur. (In Quadrages. de Commun. ut in die festi de Virginibus) juxta rubricam superiorem secunda die infra Octavam.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

De Sermon. S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 1. de Virginibus.

AC prius ubi sit patria virginitatis, definiamus. Si enim ibi est patria, ubi genitale domicilium; in cœlo profectò est patria castitatis: itaque hic advena, ubi incola est. Quid autem est castitas virginalis, nisi expers contagionis integritas? Atque ejus auctorem, quem possumus existimare, nisi immaculatum Dei Filium, cujus caro non vidit corruptionem, Divinitas non est experta contagionem? Videte igitur quanta virginitatis merita sint, Christus ante Virginem, Christus ex Virgine. à Patre quidem natus ante sæcula; sed ex Virgine natus ob sæcula. Illud naturæ suæ, hoc nostræ utilitatis est. Illud erat semper, hoc esse voluit.

℟. Propter veritatem.

Le-

Lectio v.

SPectate aliud virginitatis meritum, Christus virgo virginis sponsus, & si dici potest, Christus virgineæ castitatis. Virginitas enim Christi, non virginitatis est Christus. Virgo est ergo, quæ *nupsit*, Virgo, quæ nos suo utero portavit, Virgo quæ genuit, Virgo quæ proprio lacte nutrivit, de qua legimus: Quanta fecit virgo Jerusalem? Non deficient de petra ubera, neque nix à Libano, aut declinabit aqua valida à vento, quæ portatur. Qualis est hæc virgo, quæ Trinitatis fontibus irrigatur? cui de petra fluunt aquæ? non deficiunt ubera? mella funduntur? Petra autem est, juxta Apostolum, Christus. Ergo à Christo non deficiunt ubera: claritas à Deo: flumen à spiritu. Hæc est Trinitas, quæ Ecclesiam suam irrigat, Pater, Christus, & Spiritus.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

SEd jam à matre descendamus ad filias. De virginibus, inquit Apostolus, præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Si Doctor gentium non habuit; habere quis potuit? Et præceptum quidem non habuit, sed habuit exemplum, non enim imperari potest virginitas, sed optari. Nam, quæ supra nos sunt, in voto magis, quàm in magisterio sunt. Sed volo vos, inquit, sine solicitudine esse: nam, qui sine uxore est, solicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Et virgo cogitat, quæ Domini sunt; ut sit sancta corpore, & spiritu. Nam, quæ nupta est, cogitat, quæ mundi sunt, quomodo placeat viro. Non ego quidem dissuadeo matrimonium, sed virginitatis attexo beneficium.

Digitized by Google

℟. Afferentur Regi.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vii.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Cap. 25.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso, & sponsæ. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorii Papæ.

Homil. 12.

QUid est autem, quod tunc à prudentibus oleum petunt? Nisi quod in adventu judicis, cùm se intus vacuas invenerint, testimonium foris quærunt? Ac si à sua fiducia deceptæ proximis dicant: Quia nos quasi sine opere repelli conspicitis, dicite de nostris operibus, quid vidistis. Sed prudentes virgines respondent, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis. In illo enim die (quod tamen de quibusdam in pace Ecclesiæ quiescentibus loquor) sibimetipsi testimonium uniuscujusque vix sufficit: quantò minus & sibi, & proximo? Unde & protinus per increpationem subdunt: Ite potiùs ad vendentes, & emite vobis. Venditores quippe olei, adulatores sunt.

℟. Hæc est Virgo sapiens.

Si hodie non est legenda nona lectio de aliqua homilia Feriæ Quadragesimæ, lectio sequens dividatur in duas ab hoc signo ¶.

Lectio viii.

QUi enim accepta qualibet gratia, vanis suis laudibus nitorem gloriæ offerunt, quasi oleum vendunt. De quo profectò oleo Psalmista dicit: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Principale etenim membrum nostrum, caput est. ¶ Appellatione autem ca-

capitis, ea, quæ principatur corpori, mens vocatur; impinguat ergo caput oleum peccatoris, cùm demulcet mentem favor adulantis. Sed dum irent emere, venit sponsus. Quia cùm vitæ suæ testimoniũ à proximis quærunt, Judex venit, qui non solum operum, sed & cordium testis est.

℣. Media nocte.

De S. Valentino Mart. fit commem. in Laudib.

In Vesp. fit commem. Ss. Mm. Faustini, & Iovitæ.

DIE XV. FEBRVAR.

De quarta die infra Octav.

IN I. NOCTVRNO.

Dicuntur Lect. de Fer. occur. & in Quadrages. de Commun. De Virginibus.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

De Sermone sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 1. *de Virginibus.*

QUi infirmus est, inquit Apostolus, olera manducet. Aliud exigo, aliud admiror: Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? ne quæsieris uxorem. Hoc præceptum est copulatis. De virginibus autem quid ait? Et qui matrimonio jungit virginem suam, benefacit: & qui non jungit, meliùs facit. Illa non peccat, si nubat: hæc, si non nubat, æterna est. Ibi remedium infirmitatis, hic gloria castitatis. Illa non reprehenditur, ista laudatur.

℣. Propter veritatem.

Lectio v.

COnferamus, si placet, bona mulierum cum ultimis virginum. Jactet licet fecundo se mulier nobilis partu: quò plures generavit, plus laborat. Numeret solatia filiorum; sed numeret pariter & molestias. Nubit, & plorat. Qualia sunt vota, quæ flentur? Concipit, & gravescit. Prius utique impedimentum fecunditas in-

Digitized by Google

cipit afferre, quàm fructum. Parturit,& ægrotat. Quàm dulce pignus, quod à periculo incipit, & in periculum desinit, prius dolori futurum, quàm voluptati. Periculis emitur, nec pro arbitrio possidetur. Quid recenseam nutriendi molestias? instruendi, & copulandi? Felicium sunt istæ miseriæ? Habet mater hæredes, sed auget dolores. Nam de adversis non oportet dicere, ne sanctissimorum parentum animi contremiscant.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

ET quid pluribus exequar laudem castitatis? Castitas enim Angelos fecit. Qui eam servavit, Angelus est, qui perdidit, diabolus. Hinc religio etiam nomen accepit. Virgo est, quæ Deo nubit: meretrix, quæ deos fecit. Nam de resurrectione quid dicam? Cujus præmia jam virgines tenent. In resurrectione autem, neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli, inquit, in cœlo. Quod nobis promittitur, virginibus præstò est, votorumque nostrorum usus apud virgines est. De hoc mundo sunt, & non sunt in hoc mundo. Sæculum virgines habere meruit, tenere non potuit. Quàm præclarum autem angelos, propter intemperantiam suam, in sæculum cecidisse de cœlo: virgines propter castimoniam, in cœlum transisse de sæculo? Beatæ virgines, quas non illecebra solicitat corporum, non colluvio præcipitat voluptatum.

℟. Afferentur Regi.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vii.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Cap. 25.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabo-

rabolam hanc: Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso, & sponsæ. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorii Papæ.

Homil. 12.

QUæ autem paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua. O si sapere in cordis palato possit, quid admirationis habet, quod dicitur, Venit sponsus; quid dulcedinis, Intraverunt cum eo ad nuptias; quid amaritudinis, Et clausa est janua! Venit quippe ille, qui adventu suo elementa concutit, in cujus conspectu cœlum, & terra contremiscunt. Vnde etiam per Prophetam dicit: Adhuc semel & ego movebo non solùm terram, sed etiam cœlum. Ad cujus examen, omne humanum genus deducitur. Cui ad vindictam malorum, remunerationemque bonorum Angeli, Archangeli, Throni, Principatus, & Dominationes obsequuntur.

℟. Hæc est virgo sapiens.

Lectio viii.

PEnsate, fratres charissimi, ante conspectum tanti Judicis, qui in illo die terror erit, quando jam in pœna remedium non erit. Quæ illa confusio, cui, reatu suo exigente, continget in conventu omnium Angelorum, hominumque erubescere: Qui pavor, eum, quem ut tranquillum mens humana capere non valet, etiam iratum videre. Quem diem benè Propheta intuens ait: Dies iræ, dies illa; dies tribulationis, & angustiæ; dies calamitatis, & miseriæ; dies tenebrarum, & caliginis; dies nebulæ, & turbinis: dies tubæ, & clangoris.

℟. Media nocte.

Lectio 9. *dicitur de S.*

Fau-

Faustino, & Iovita Mm. (In Quadrages. verò de Homil. Fer.) & eorum Commem.

DIE XVI. FEBRVAR.

De quinta die infra Octav.

IN I. NOCTVRNO.

Dicuntur lect. de Fer. occur. & in Quadrag. de Commun. De Virginibus.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

Sermo S. Joannis Chrysostomi Episcopi.

Hom. 18. in cap. 4. Gen.

ADam autem cognovit Hevam uxorem suam. Considera, quando hoc factum sit. Post inobedientiam, post paradisi amissionem, tunc primùm usus rei venereæ cœpit. Ante inobedientiam enim Angelicam vitam imitabantur, & nullus de re venerea sermo erat. Vel quo pacto, cùm neque corporalibus necessitatibus obnoxii fuerint? Itaque ab initio virginitas palmam principatus accepit. Sed postquam per desidiam peccatum intravit, & aditus patefactus est his, quæ peccati sunt, & illa quidem avolavit: utpotè ab his, qui indigni tantæ virtutis magnitudine facti erant: subintravit autem rei venereæ lex.

℟. Propter veritatem.

Lectio v.

COgita igitur, dilecte, quanta virginitatis dignitas, quàm sublimis, & magna possessio, & quæ supra humanam naturam, & quæ opus habeat manu superna. Quandoquidem qui virginitatem alacriter arripiunt, in corpore ea agunt, quæ incorporearum sunt virtutum. Audi Christum Iudæis dicentem. Nam de resurrectione quæstionem moventes, & in sermone capere volentes, dicebant: Magister, erant apud nos septem fratres, & primus uxore ducta defunctus est, non habens pueros, & dimisit uxo-

Digitized by Google

uxorem suam fratri suo. Similiter & secundus, & tertius, & quartus, & quintus, & sextus, & septimus. In resurrectione ergo, cujus è septem illis erit uxor? Omnes enim habuerunt illam.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

QUid igitur dixit illis Christus? Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim, neque matrimonium contrahunt, neque locantur; sed sunt sicut Angeli. Vidisti, quomodo in terra ambulantes, & corpore circumdati, Angelicam vitam imitantur, qui Christi amore virginitatis sortem acceperunt? Nam quantò hæc major est, & sublimior; tantò majores sunt & coronæ, & retributiones, & repromissa bona eórum, qui cum hac, in aliis bonis operibus se exercent.

℟. Afferentur Regi.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vii.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Cap. 25.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso, & sponsæ. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorii Papæ.

Homil. 12.

PEnsate ergo, fratres charissimi, extremi diem judicii super corda reproborum; qua asperitate Propheta vidit amarescere, quem tot appellationibus non valet explicare. Quanta verò tunc erit electorum lætitia, qui de ejus merentur visione gaudere, de cujus conspectu vident & elementa omnia contremiscere, cum eo simul ad nuptias intrare? Qui & in sponsi nuptiis gau-

gaudent, & tamen ipsi sunt sponsa: quia in illo æterni regni thalamo, visioni nostræ Deus conjungitur. Quæ scilicèt visio, nunquam jam in perpetuum ab amoris sui amplexibus evelletur.

℟. Hæc est virgo sapiens.

Lectio viii.

TUnc regni janua lugentibus claudetur, quæ modò quotidie pœnitentibus aperitur. Erit namque & tunc pœnitentia, sed fructuosa jam non erit: quia nequaquam tunc veniam invenit, qui modò aptum veniæ tempus perdit. Hinc etenim Paulus dicit: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Hinc Propheta ait: Qærite Dominum, dum inveniri potest: invocate eum, dum prope est. Unde & easdem virgines fatuas invocantes Dominus non audit: quia interclusa regni janua, is, qui nunc per exauditionem propè esse poterat, propè jam non erit. Nam subditur: Novissimè veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos.

℟. Media nocte clamor.

Lectio ix.

IBi jam à Deo non potest mereri, quod petit, qui hìc noluit audire, quod jussit. Qui tempus congruæ pœnitentiæ perdidit, frustrà ante regni januam cum precibus venit. Hinc est enim, quòd per Salomonem Dominus dicit: Vocavi, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis, quod timebatis, advenerit: cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingrue-

gruerit : quando venerit super vos tribulatio, & angustia. Tunc invocabunt me, & non exaudiam, manè consurgent, & non invenient me.

Te Deum laudamus.

DIE XVII. FEBRVAR.

De sexta die infra Octav.

IN I. NOCTVRNO.

Lectiones de Fer. occur. In Quadrages. de Commun. De Virginibus.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

Sermo S. Joannis Chrysostomi Episcopi.

Homil. 44. *in Psalm.* Eructavit.

ADducentur Regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi. Afferentur in lætitia, & exultatione, adducentur in templum Regis. Vidisti vestes, fimbrias? vidisti amictum aureum, florem virginitatis? Is est, vestis Ecclesiæ. Considera autem mihi, quàm accuratè loquatur Propheta. Quia enim non statim, cùm primùm constitura est Ecclesia, floruit bonum virginitatis, sed aliquanto post tempore, propterea ipse quoque posteà id ponit: nempe postquam ea oblita fuerit Populi, & domus patris, & induta fuerit illo ornatu, & specie, ac pulchritudine refulserit.

℟. Propter veritatem.

Lectio v.

ET ideo dicit: Post eam propinquæ ejus afferentur. Propinquæ non loco tantùm, sed & moribus, & dogmatibus, cum ea congruentes. Hæreticorum enim virgines, non rectè dixeris virgines; neque enim sunt propinquæ reginæ. Afferentur in lætitia, & exultatione. Vide hic dictum Apostolicum resplendere, & illam enuntiationem ostendi etiam in Propheta. Quænam autem ea est? Tribulationem carnis habebunt, quæ nubunt.

Digitized by Google

bunt. Quemadmodum autem illæ afflictionem, ita hæ lætitiam, & exultationem. Illæ enim filios, & maritum, & domum, & famulos, cognatos, & generos, & soceros, & nepotes, liberorum multitudinem, eorumdemque vel defectum, vel orbitatem curare coguntur.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

NEque enim nunc tempus est describendi calamitates matrimonii. Virgo autem crucifixa, & à præsentibus liberata, & curis ad hanc vitam pertinentibus effecta superior, & Euripo trajecto, in cœlum quotidie suspiciens, fruitur gaudio spiritus, perfunditur exultatione. Non solùm autem præsentia Propheta, sed etiam futura significat, quando pulchras, & splendidas lampades habentes fiunt obviam sponsum accipientes. Templum autem regis, hic vocat regium thalamum, & cubile.

℟. Afferentur Regi.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vii.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Cap. 25.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso, & sponsæ. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorii Papæ.

Homil. 12.

ECce aperiri clamant, & repulsionis suæ dolore compulsæ, appellationem dominantis ingeminant, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. Preces offerunt, sed nesciuntur. Quia tunc velut incognitos Dominus deserit, quos modò suos per vitæ meritum non agnoscit. Vbi aptè quoque generalis

Digitized by Google

lis ad discipulos exhortatio subinfertur, cùm dicitur: Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. Quia post peccata Deus pœnitentiam suscipit. Si scirет quisque, de præsenti sæculo quo tempore exiret, aliud tempus voluptatibus, atque aliud pœnitentiæ aptare potuisset.

℟. Hæc est virgo sapiens.

Lectio viii.

SEd qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit. Semper ergo extremum diem debemus metuere, quem numquam possumus prævidere. Ecce hunc ipsum diem, in quo loquimur, ad inducias conversionis accepimus; & tamen mala, quæ fecimus, flere recusamus. Non solùm commissa non plangimus, sed etiam quæ defleantur, augemus. At si aliqua nos ægritudo corripiat, si signa ægritudinis vicinam mortem denuntient, inducias vivendi quærimus, ut peccata nostra defleamus, & eas cum magno studii desiderio petimus, quas acceptas modò pro nihilo habemus.

℟. Media nocte.

Lectio ix.

NOs ergo, fratres charissimi, nunc solicitè ista cogitemus, ne nobis in vacuum tempora pereant, & tunc quæramus ad benè agendum vivere, cùm jam compellimur de corpore exire. Mementote quid Veritas dicat: Orate, ne fiat fuga vestra hyeme, vel sabbato. Per Legis quippe mandatum ambulare longiùs sabbatho non licet: hyems quoque ad ambulandum impedimento est, quia gressus ambulantium corpor frigoris adstringit. Ait ergo, Orate, ne fiat fuga vestra hyeme, vel sabbatho. Ac si apertè dicat: Videte, ne tunc quæratis peccata vestra fugere,

Digitized by Google

re, quando jam non licet ambulare. Illud ergo tempus, quo fugere non licet, modò debet cogitari, dum licet. Illa hora nostri exitus est semper intuenda. Ista Redemptoris nostri admonitio, ante mentis oculos semper ponenda, quia ait: Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.

Te Deum laudamus.

In Vesp. fit commemor. S. Simeonis Ep. & Mart.

DIE XVIII. FEBRVAR.

De septima die infra Octav.

IN I. NOCTVRNO.

Dicuntur lect. de Fer. occur. In Quadrages. de Commun. De Virginibus, &c.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

Sermo sancti Fulgentii Episcopi.

Epist. 3. ad Probam Virginem, de virginitate simul, atque humilitate.

VIrginis si quis velit diligenter considerare vocabulum, ex virtutis inveniet nomine derivatum. Virgo enim dicitur, quasi virago. Viraginem verò Scriptura sancta non ob aliud vocatam dicit, nisi quia de viro sumpta est. Hoc autem à sancto Hieronymo secundùm Hebraicam proprietatem libri Geneseos docet expressa translatio, in qua sic habetur: Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cùmque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea, & ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Itaque cùm virginis nomen ex nomine viri descenderit, quis dubitet, quòd vir à virtute vocatus sit?

K.

Digitized by Google

℟. Propter veritatem.

Lectio v.

ET quia, sicut Paulus docet, illa omnia in figura facta sunt nostri: profectò in illa virgine, quæ ex viri fiebat costâ, futura jam tunc præfigurabatur Ecclesia, quæ verè de viro sumpta, & de quo sumpta, illi conjuncta, indè habet in veritate virtutem, undè habet verum viraginis nomen. Propter quod hanc viraginem, id est, virginem, quæ de viro sumpta est, non solùm virginis, sed etiam viri nomine Paulus non dubitat appellare. Ait enim fidelibus: Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Christus est quippe vir, de quo hæc virgo sumpta est. Ipsis denuò fidelibus Apostolus dicit: Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Per sanctum quoque David, tàm viris, quàm mulieribus in commune spiritalis hujuscemodi promulgatur hortatio: Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes, qui speratis in Domino.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

TYpicè itaque à viro dicitur virginis vocabulum, quia nomen à Christo dicitur Christianum. Christus enim Dei virtus est, & Dei sapientia, ex quo est Ecclesia, quæ virgo in fide, & charitate persistens, & sapientiam possidet, & virtutem. Ideò nec seductione decipitur, nec violentia vincitur, quia internæ virginitatis integritate fulcitur. Huic virgini Isaias dicit: Quoniam complacuit Domino, in te, & terra tua inhabitabitur. Habitabit enim juvenis cum virgine, & habitabunt in te filii tui. Et ut ostenderet non alium

esse

Digitized by Google

esse juvenem, quàm sponsum, nec aliam esse virginem, quàm sponsam, sponsum autem, & sponsam, Christum, & Ecclesiam, secutus adjunxit: Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus. Hæc virgo mater est, cui dicitur: Habitabunt in te filii tui. Et hæc mater virgo est, de qua dicitur: Habitabit enim juvenis cum virgine. Hæc virgo sponsa est, de qua dicitur: Et gaudebit super sponsam suam. Hæc igitur Ecclesia una, & vera Catholica sponsa est, quia inhæret Christo; virgo est, quia incorrupta perseveraat in Christo. Hujus sponsæ nec fecunditate virginitas corrumpitur, nec virginitate fecunditas impeditur.

℣. Afferentur Regi.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vii.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Cap. 25.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso, & sponsæ. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homil. 52. in Matth.

NOtandum quod priorem quidem parabolam de Doctoribus dicit, hanc autem de populatibus. Tamen etsi spiritualem intellectum habeat parabola, nihil nocet interpretari eam etiam carnaliter. Tunc simile erit, cùm suis diebus completis solutus fuerit mundus: cùm venerit judex omnium occultorum: modò autem interim omnes homines nobis invicem mentimur.

Alii

Alii fingunt se justos, cùm sint iniqui; alii humiliant se, ut peccatores, cùm sint sancti; alii autem turpes actus suos usque ad mortem abscondunt, ampliùs homines erubescentes, quam Deum timentes: & semper sunt in vulnere, dum pro tempore nolunt apparere vulnerati. Qui autem Deum timet, homines non erubescit. Nec enim prior potest esse timor terrenus, quàm pœna cœlestialis. Quibus simile erit? decem virginibus.

℟. Hæc est virgo sapiens.

Lectio viii.

QUidam putant, hìc virgines dici, de quibus Apostolus loquitur, ut sint sanctæ & corpore, & spiritu. Et sapiens quidem virgo est, quæ & corpore, & animo virgo est: ut neque habeat virum, neque habere desideret. Quid enim si aut parentes ejus propter votum suum in virginitate eam tenuerunt; cùm ipsa tamen post votum nubere voluerit? Quid si pro aliqua occasione quæsita, non est talis? Hæc, si non est nupta, voluntatem tamen nubendi habuit. Corpore quidem virgo est, animo autem nupta, quia corpus opere sordidatur, animus autem voluntate.

℟. Media nocte clamor.

Lectio 9. dicitur de S. Simeone Episc. & Mart. In Quadrages. verò de Homil. Fer. & eorum commemor.

DIE XIX. FEBRVAR.

De Octava sanctæ Eulaliæ. Duplex.

IN I. NOCTVRNO.

Dicuntur lection. de Fer. occur. & in Quadrages. de Communi. De Virginibus, &c.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

Sermo sancti Gregorii Papæ.

Lib.

Lib. 5. cap. 1. enarrationum in cap. 15. lib. 1. Reg. tom. 1.

DE pluribus virginibus, sub unius descriptione dictum est: Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato. In eodem quoque Psalmo laudatur eadem regina, cùm dicitur: Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus. Quis est enim vestitus aureus, nisi decor, & honor corporis virginalis? Vestitus quidem dicitur, quia foris fulget in corpore: aureus autem, quia præcellit dignitate. Omnis autem metalli species auro inferior est, sic nimirum omnis pudicitia alia, decori virgineo comparari non potest.

℟. Propter veritatem.

Lectio v.

QUid est ergo, quod dicitur: Omnis gloria filiæ Regum ab intus, si foris esse gloria vestitus aurei prædicatur? Si enim foris est aliqua magna aurei vestitus gloria, intus omnis gloria videri non potest. Quid est ergo, quòd omnis gloria intus esse perhibetur? Nisi quia & illa, quæ foris est gloria, cum aliis innumeris intus esse cognoscitur? Aurea enim virginitas non est: si foris est, & intus non est. Quia ergo intus, & foris est, & quia eadem, quæ splendet in corpore, eadem fulget in mente: omnis gloria filiæ Regum intus esse sentiri convenienter potest.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

OMnis gloria intus est, quia foris sola, intus sola non est. Quia enim multæ sunt virtutum claritates in mente virginis: sic virgineus splendor asseritur, ut intus omnis gloria prædicetur. Hoc nimirum est, quod subjequitur:

tur: In fimbriis auriis circumamicta varietatibus. Fimbriæ enim aureæ sunt claritates, à mente numquam deficientes. Fimbriæ quidem, finales vestimenti partes sunt; quæ idcirco in sponsæ Christi decore laudantur: quia nulla est virtutum gloria, si lucere ante vitæ consummationem desistat. Regina ergo amore dicitur: in vestitu aureo virginitas prædicatur. Sed omnis gloria intus, & in fimbriis aureis, & varietate circumamicta scribitur: ut innumeris virtutibus adjuncta integritas, usque in finem deduci sentiatur.

℟. Afferentur Regi.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vii.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Cap. 25.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso, & sponsæ. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Serm. 23. *de verbis Domini.*

Cap. 2.

INtelligamus, charissimi, ad omnes nos, id est, ad universam Ecclesiam, istam pertinere parabolam: non ad solos præpositos, de quibus hesterno die loquuti sumus, nec ad solas plebes, sed prorsus ad omnes. Quare ergo quinque, & quinque virgines? Quinque istæ, & quinque virgines illæ, omnes omnino sunt animæ Christianorum. Sed ut dicamus vobis, quod Deo inspirante sentimus, non qualescumque animæ, sed tales animæ, quæ habent Catholicam fidem, & habere videntur bona opera in Ecclesia Dei: & tamen ex ipsis quinque sunt prudentes, & quinque fatuæ.

Quare ergo appelatæ sunt quinque, & quare virgines, prius videamus; & deinde cetera consideremus. Omnis anima in corpore ideò quinario numero censetur, quia quinque sensibus utitur.

℟. Hæc est virgo sapiens.

Lectio viii.

NIhil est enim, quod sentimus ex corpore, nisi janua quinque partita, aut videndo, aut audiendo, aut odorando, aut gustando, aut tangendo. Qui ergo se abstinet ab illicito visu, ab illicito auditu, ab illicito odoratu, ab illicito gustatu, ab illicito tactu, propter ipsam integritatem, virginis nomen accipit. Sed si bonum est, abstinere ab illicitis sentiendi motibus, & ideò unaquæque anima Christiana, virginis nomen accipit: quare quinque admittuntur, quinque autem repelluntur? Et virgines sunt, & repelluntur. Parum est, quia virgines sunt, & lampades habent, virgines propter abstinentiam ab illicitis sensibus, lampades habent, propter bona opera; de quibus operibus Dominus dicit: Luceant opera vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Item discipulis dicit: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. In lumbis accinctis virginitas, in lucernis ardentibus opera bona.

℟. Media nocte clamor.

Lectio ix.

NOn solet dici virginitas, utique in conjugatis; tamen etiam ibi est fidei virginitas, quæ exhibet pudicitiam conjugalem. Nam ut noverit sanctitas vestra, non importunè secundum animam, & secundum integritatem fidei, qua etiam ab illicitis abstinetur, & bona opera fiunt,

sunt, unumquemque, vel unamquamque animam virginem dici; tota Ecclesia, quæ constat ex virginibus, & pueris, & maritatis feminis, & uxoratis viris, uno nomine virgo est appellata. Unde hoc probamus? Apostolum audi dicentem, non solis sanctimonialibus, sed universæ prorsus Ecclesiæ: Desponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Et quia virginitatis hujus corruptor Diabolus cavendus est, continuò ipse Apostolus, cùm dixisset, Desponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo, adjungit, & ait: Timeo autem, ne sicut serpens Hevam seduxit versutia sua, sic & vestri sensus corrumpantur à castitate, quæ est in Christo. In corpore virginitatem pauci habent: in corde omnes habere debent.

Te Deum laudamus.

Die vi. Martii.

In festo sancti Ollegarii, Canonici, Præpositi, & Episcopi Barcinon. ac simul Archiepisc. Tarraconen.

Duplex.

Omnia de Commu. Conf. Pont. præter ea, quæ hic habentur propria.

Si hoc festum venerit in Dom. Quinquag. fer. 4. Cinerum, vel in aliqua Dom. Quadrages. transfertur in primam diem non impeditam Officio novem lectionum & tunc in Hym. Iste Confess. *Dicatur*, Hac die lætus meruit supremos laudis honores.

Oratio.

DEus, qui animam beati Ollegarii Confessoris tui, atque Pontificis in cœlis cum Christo regnantem, & corpus in terris integrum, illæsumque conservas; concede propitius; ut ejus intercessione,

ita in hoc mundo vivamus, ut cum Christo in gloria regnare valeamus. Qui tecum.

In Quadrages. fit comm. Fer.

IN I. NOCTVRNO.

Si venerit in Quadrages. Lect. de Commu. Conf. Pont. Fidelis sermo, *aliàs de Script. occur.*

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

OLlegarius, sive Ildegarius Barcinone nobili genere natus, adolescens clericali militiæ adscriptus, ac sanctæ Eulaliæ, urbis Patronæ Canonicatu oblatus, liberalibus disciplinis, ac pietatis operibus animum intendit. Sacris initiatus, ac Præpositi dignitate auctus, quò virtutes meliùs excoleret, ac Deo liberiùs inserviret, Canonicorum Regularium Lateranensium institutum est amplexus. Ubi cùm religiosi hominis ornamentis, ac virtutibus excelleret, Canonicis regendis admotus, regularem disciplinam mirificè confirmavit. Mox ejus virtutum fama latiùs emanante, monasterii sancti Russi in Provincia Abbas electus, ea prudentiæ, ac sanctitatis laude monasterium gessit, ut domus illa spiritualibus crescceret incrementis. Factumque est, ut defuncto in Balearica expeditione Raymundo Barcinonensi Antistite, cùm de successore deligendo consuleretur, universi populi, ac Cleri suffragia Ollegarium, qui forte tunc aderat, Episcopum deposcerent. Vir Dei pastorale onus invicta humilitate declinans, noctu clam aufugiens, in cœnobium sancti Russi se recepit. Verùm Paschalis secundi Romani Pontificis (ad quem Comes in Italiam navigans deprecatores miserat) præcepto in virtutæ sanctæ obedientiæ, cui cum omni hu-

humilitate paruit, per Cardinalem Bosonem, Legatum à Latere, summa omnium gratulatione in thronum Barcinonensis Ecclesiæ collocatur.

℟. Inveni David.

Lectio v.

FActus Episcopus, cùm morum castitate, verbi Dei prædicatione, atque Ecclesiasticæ immunitatis zelo Pastoris optimi partes impleret, ad suscipiendum quoque Tarraconensis Ecclesiæ administrationē, civitate pridem è Maurorum servitute erepta, licet reluctans, postulatur. Navigans itaque Romam ad sanctorum Apostolorum limina visitanda, & mox Gayetam; à Gelasio secundo, qui Paschali successerat, Archiepiscopus confirmatus, pallio accepto, cùm ad suos jam esset reversus, Romam iterum ad Lateranense Concilium à Callixto pariter secundo accersitur. Mox ingenti fidei ardore succensus, in Palæstinam trajiciens, cùm loca sancta viseret, ac præsens veneraretur, à Jerosolymitano Patriarcha honorificentissimè exceptus, plurimos prædicatione, & exemplo ad Christianam fidem perduxit. Ad suam tandem Ecclesiam reversus, cùm totum se ad Cleri mores reformandos contulisset, iterata Synodorum celebratione, constitutis, erga pauperes, & nosocomia præcipuè charitatis sanctissimis legibus, Ecclesiasticam disciplinam vel restituit, vel firmavit.

℟. Posui adjutorium.

Lectio vi.

CUm autem ea tempora, multis, gravibusque dissensionibus inter Proceres, & Regiones redundarent, Ollegarius potens opere, & sermone, dissidentes ad pacem, atque concordiam magna ex parte revocavit. Quo in studio occupatus, cum His-

pa-

panis pene tota schismati Petri Leonis adhæreret, Innocentium secundum summum Pontificem ad Claramontanum Concilium, infracto animo, procedens, egregiè adjuvit: dignus propterea quòd & à sancto Bernardo Claravallensi Abbate summis laudibus celebraretur. Denique vir Dei, immensis laboribus exhaustis, cùm jam ad Maurorum irruptiones arcendas Tarraconæ civitati mœnia extrui, ac primarium Templum in bonorem sanctæ Theclæ ædificari curasset, mortem sibi vicinam præmuntians, in morbum incidit, quo diutiùs afflictatus, cùm plurima humilitatis, patientiæ, & charitatis documenta præbuisset, Ecclesiasticis Sacramentis munitus, inter lacrymas, suspiriaque filiorum, beatum Deo spiritum reddidit pridie Nonas Martii millesimi centesimi vigesimi sexti. Post cujus mortem sanctus Vincentius Ferrerius prædicavit quoddam insigne miraculum, sub his verbis: Recitemus nunc miraculum de sancto Ollegario Episcopo. Quibus motus Clemens decimus suam festivitatem sub ritu duplici celebrari, ac recitari indulsit. Ejus corpus incorruptum adhuc post quinque sæcula in Cathedrali Barcinonensi jacet quodam sepulcro marmoreo mirabili arte confecto, ubi honorificentissimè colitur.

℣. Iste est, qui ante Deum.

IN III. NOCTVRNO.

Homil. in Evang. Homo peregrè proficiscens: *ut in Communi Conf. Pont.*

Si venerit in Quadr. 9. Lect. legitur de homil. Fer. occurr. & de ea fit commem.

In 2. Vesp. à cap. de S. Thoma Aquinate, commem. S. Ollegarii, & sanctarum Mart. Perpetuæ, & Felicitatis, in Quadr. post commem.

S. Gregorii sit commune. Fer. post eà Sanctarum.

Die ix. Martii.

In festo sancti Patiani Episc. & Conf.

Duplex.

Festum sanctæ Franciscæ Viduæ semper transfertur.

Omnia de Commu. Conf. Pont. exceptis iis, quæ hic sunt propria.

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus: ut beati Patiani Confessoris tui, atque Pontificis veneranda solemnitas, & devotionem nobis augeat, & salutem. Per Dominum.

Et commem. S. Ioannis de Deo, & Fer. si recitetur in Quadrages.

IN I. NOCTVRNO

Dicuntur Lectiones. Fidelis sermo. *de Communi si celebretur in Quadrages. aliàs de Scriptur. occurrenti.*

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

Ex D. Hieronymo, & ex scriptis ejusdem S. Patiani, & aliis.

PAtianus vir vitæ, & sermone conspicuus, Barcinone in citeriore Hispania multum floruit. Is primùm in matrimonio sanctam vitam agens, ex legitimo toro filium habuit nomine Dextrum, virum omni virtute, ac scientiarum genere instructum, & præfectura Prætorii decoratum, qui ad beatum Hieronymum, eodem Hieronymo teste, elegantem quamdam historiam texuit. Ac propterea ipso hortante, ad eum sanctus Doctor librum de scriptoribus Ecclesiasticis inscripsit. Deinde Patianus propter suas singulares virtutes Barcinonensium Episcopus creatus munus Episcopale ita gessit, ut infidelibus terrorem incuteret, fidelibus autem solatium

mag-

magnum afferret. In Episcopatu humilitatem, gravitatem, abstinentiam, castitatem, mansuetudinem severitatem, liberalitatem orationis assiduitatem, ceterasque virtutes, & opere coluit, & verbo docuit, & libris consignatas posteritati commendavit. Ad Simpronianum Novatianum tres epistolas contra Novatianos, eruditè scripsit. In quibus illud est mirabile, quanta eum charitate alliciat, eumdem honorificè fratrem appellans; et quanta mansuetudine illum, à quo fuerat litteris lacessitus, alloquatur, cùm dicit: Nos tecum quasi columbæ ore potiùs, quam dente confligimus.

℣. Inveni David.

Lectio v.

TRactatum etiam de Baptismo, & Paræneſim, seu exhortatorium libellum ad pœnitentiam conscripsit. Ubi inter cetera ardentem suum ostendit salutis animarum zelum, quando Barcinonenses oves pastorali suæ solicitudini commissas, his verbis ad pœnitentiam adhortatur: Per, rogo vos, Ecclesiæ fidem, fratres, per solicitudinem meam, per communes omnium animas obtestor, & deprecor ne pudeat in hoc opere, ne pigeat oportuna quàm primùm remedia salutis invadere, dejicere mœroribus animum, sacco corpus involvere, cinere perfundere, macerari jejunio, mœrore conficere, multorum precibus adjuvare. In quantùm pœnæ vestræ non peperceritis, in tantùm vobis Deus parcet. Varia etiam alia edidit Paccianus opuscula, quæ nusquam apparent. Denique postquam vir Dei, Barcinonensem Ecclesiam sanctissimè administravit, universamque citeriorem Hispaniam sua doctrina illustra-

Digitized by Google

stravit, errantes oves ad ovile Christi perduxit, non errantes confirmavit, & omnes verbo, atque exemplo, ad pietatem Christianam inflammavit, senio jam confectus, plenus dierum, septimo Nonas Martii (quo die ejus festum Barcinone solemniter celebratur) migravit ad Dominum.

℟. Posui adjutorium.

Lectio vi.

Ex libro sancti Hieronymi Presbyteri, de scriptoribus Ecclesiasticis.

Verbo Patianus, cap. 116.

PAtianus in Pyrenei jugis Barcinone Episcopus, castitate, & eloquentia, & tàm vita, quàm sermone clarus, scripsit varia opuscula. De quibus est Kerbos, & contra Novatianos. Sub Theodosio Principe, jam ultima senectute mortuus est.

℟. Iste est, qui ante Deum,

IN III. NOCTVRNO.

Homilia sancti Gregorii Papæ, *in Evang.*

Homo peregre, *de Commun. cum 9. lect. de Homil. Fer. si recitetur in Quadrages.*

AD VESPERAS.

Fit commem. sanctorum Quadragint. Martyr. & Fer. si recitetur in Quadrages.

Die xv. *Martii.*

In festo sanctæ Matronæ Virg. & Mart.

Duplex.

Omnia de Commun. Virg. & Mart. exceptis his, quæ hic sunt propria.

Oratio.

INdulgentiam nobis, quæsumus Domine, beata Matrona Virgo, & Martyr imploret: quæ tibi grata semper extitit & merito castitatis, & tuæ professione virtutis. Per Dominum.

Fit com. Fer. Quadrages.

IN

IN I. NOCTVRNO.

De Virginibus præceptum Domini non habeo, &c. *Vt in Breviar. Rom.*

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

Ex Beda, Martyrol. Rabani, Breviar. Barcinon. & aliis.

MAtrona virgo Christiana, & cujusdam mulieris Judææ ancilla, dum Thessalonicæ multo tempore dominæ suæ omnibus, quibus licitè poterat modis obsequitur, numquam Christianam fidem, numquam optimos Christianorum mores, cum veri Dei cultu conjunctos, ut decebat ancillam Christi, deseruit. Imò quo magis in dies dominam suam servare legem veterem, Judaizareque cernebat, eò magis ipsa Judaicam execrans perfidiam, in veritate legis novæ, in fide, atque religione Christiana confirmabatur. Cùm autem capitale semper esset Judæorum odium adversùs Christum, & Christianos intelligeret: ne ullam domina sua, ex suo in Christum obsequio, iniquè persequendi se occasionem acciperet, occultæ Christum colere, & furtivis orationibus quotidie Ecclesiam frequentare, omni, quo poterat, studio conabatur.

℟. Propter veritatem.

Lectio v.

QUod ubi deprehendit insolens domina, callidè primùm eam alloqui, promissis, & blandictis allicere curat, eidemque persuadere studet, ut deserta Christiana religione, Judaicam legem amplectatur. Cùm autem ejus verba nihil virile cor sponsæ Christi dimoverent, furens mulier perfida minas emovere, & tormenta eidem intimare deliberat. Ad verbera deinde progreditur, & acerbè illam

ad

ad scamnum alligatam, semel, atque iterum cruciat. Quibus tormentis, sicut aurum in fornace probatur, ita Matrona, quò acrius affligitur, eò firmius in fide solidatur, à vinculisque mirabiliter soluta, divinitus recreatur.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

Denique impia domina, ferali odio, tamdiù robustis fustibus virgineum ancillæ corpus ad mortem usque percussit, donec Matrona, ad virginitatis simul, & martyrii palmam evecta, in confessione Christi incorruptum Deo spiritum reddidit. Ejus corpus primùm Thessalonicæ conditum, magna ibidem populi frequentia veneratum est. Post longa verò tempora à Christianis acceptum, & in navi impositum, ipsis nautis, nec cogitantibus, nec volentibus, divino consilio, vi acerbissimæ tempestatis, ad littus Hispaniæ Tarraconensis, juxta Barcinonem mirabiliter asportatum; in monte eidem Civitati vicino, & in Ecclesia ejusdem nomine Deo dicata, fuit collocatum. Ubi quotidianis clarum miraculis; ac præsertim siccitatis tempore, ad impetrandam à Deo pluviam, magna ab incolis veneratione colitur, Idibusque Martii (quo die ejus festum celebratur) magno totius populi Barcinonensis concursu frequentatur.

℟. Afferentur Regi.

IN III. NOCTURNO.

Homilia sancti Gregorii Papæ, *in Evang.*

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito, *de Communi nec Virginum, nec Martyrum, ut in Breviario.*

Lectio 9. dicitur de homilia Feriæ Quadrag.

Die

Die iii. Maii.
In festo Inventionis sanctæ Crucis, Ecclesiæ Cathedr. Barcinonen. Titularis.

Duplex 1. classis cum Octav.

Officium proprium, ut in Breviario.

In 1. Vesp. nihil fit de S. Athanasio præcedenti, nec de Ss. Mm. Alexandro, &c. Ad Matutinum lectio octava dividitur in duas à verbo: Intendat, (*nisi 9. lect. esset legenda de Homil. Domin. vel Fer. 2. Rogat.*) *& in 2. Vesp. fit commem. S. Monicæ.*

Si occurrit in die Ascensionis, celebrabitur sine octava, quia post octavam transferetur.

Si in primis, vel secundis Vesperis concurrit cum die Ascensionis, vesperæ fiunt de Ascensione, cum commem. diei S. Crucis: si autem concurrit cum die infra Octavam Ascensionis nihil fit de Ascensione in utrisque Vesp. & Laudibus.

Si occurrit in Fer. 2. Rog. 9. lect. fit de Fer. & commem. in Laud. Si autem occurrit in Vigil. Ascens. nihil fit de Vigil.

Si dies Octa. S. Crucis occurrit in die Ascens. fit commem. Octav. in utrisque Vesp. & Laudib.

DIE IV. MAII.

Secunda die infra Octavam.

Officium fit de S. Monica cum commem. Octavæ, Vesp. à Capitulo de Conversione Sancti Augustini. Comm. Sanctæ Monicæ, & S. Crucis.

DIE V. MAII.

Tertia die infra Octavam.

Fit de Conversione S. Augustini Episc. & Conf. Dupl. vel de S. Pio V. Papa, & Conf. Semid. comm. S. Crucis. Vesp. dup. mai. de S. Ioann. ante Portam Latinam, commem. Conv. S. August. vel. S. Pii, & Octav.

DIE

Digitized by Google

DIE VI. MAII.

Quarta die infra Octavam.

In festo S. Ioannis ante Part. Latin. Dup. Officium fit de eo, ut in Brev. Rom. cum commem. Octavæ.

In 2. Vesp. commem. S. Stanislai Episc. & Mart. & Octavæ.

DIE VII. MAII.

Quinta die infra Octavam.

In festo S. Stanislai Episc. & Mart. Semid. Offic. fit de eo, ut in Breviar. Rom. cum commem. Octavæ.

In 2. Vesp. omnia de sequenti festo cum commem. S. Stanislai, & Octav.

DIE VIII. MAII.

Sexta die infra Octavam.

Apparitio S. Michaëlis Archangeli. Dup. Officium fit de eo, ut in Breviar. cum commem. Octavæ.

In 2. Vesp. S. Michaëlis fit commem. S. Gregorii, & Octav.

DIE IX. MAII.

Septima die infra Octav.

In festo S. Greg. Nazian. Dup. Offic. fit de eo, ut in Brev. Rom. cum commem. Octav.

In 2. Vesp. à Cap. fit de Octav. S. Crucis, ut in 1. Vesp. festi, cum commem. S. Gregorii, & sanctorum Mart. Gordiani, & Epimachi.

DIA X. MAII.

Octav. S. Crucis, Duplex.

IN I. NOCTVRNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Ex Homil. 55. in Matth. post medium.

NEminem gloriosorum salutis nostræ signorum pudeat, summæque bonorum, qua & vivimus, & sumus, sed ut coronam, sic Christi Crucem

cem feramus: etenim nostra omnia per illam perficiuntur. Sive regenerationę, & renovationę opus est, Crux presto est: sive mysticus ille cibus sumendus, sive in ordinem Ecclesiasticum aliqui cooptandi, sive quidvis aliud faciendum, ubique victoriæ nostræ signum adest. Ob eamque causam, illam & in ædibus, & in muris, & in foribus, & in fronte, & in mente cum magno studio depingimus, & inculpimus. Nostræ enim salutis, communisque libertatis, & bonitatis Domini nostri hoc signum est. Cùm ergo insigniris, ecce in mentem veniat vis omnis, quam in se Crux continet: ac tum denique iram, omnesque à ratione adversos animi impetus extinxeris.

℟. Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra: * Per quem salvati, & liberati sumus, alleluia.

℣. Tuam Crucem adoramus, Domine, & recolimus tuam gloriosam passionem. Per quem.

Lectio v.

NOn enim omnino digito imprimenda, & consignanda est, sed prius voluntate, ac judicio cum magna fide: quia sic in oculis, vultuque impressa, impurorum, scelestorumque dæmonum nullus ad te accedere, aut in propinquo stare umquam poterit, cernens gladium, quo vulnus, plagamque accepit, videnſque ensem, quo mortem accepit. Si enim nos cùm loca, in quibus damnati secantur, videmus, exhorrescimus: cogita, quid eventurum sit diabolo, cum arma videbit, quibus vim, potestatemque ejus omnem Christus dissolvit, serpentisque caput amputavit. Hoc etiam

etiam signum januae clausas majorum nostrorum, nostraque ætate aperuit: hoc noxia, mortiferaque venena profligavit: hoc cicutæ vim diluit: hoc denique venenatarum bestiarum morsus curavit.

℟. Dum sacrum pignus cœlitus revelatur, Christi fides roboratur: * Adsunt prodigia divina in virga Moysi primitus figurata, alleluia alleluia.

℣. Ad Crucis contactum resurgunt mortui, & Dei magnalia referantur. Adsunt.

Lectio vi.

SI enim inferiorum portas aperuit, & cœlorum orbes laxavit, paradisi aditum, introitumque restituit, & diaboli nervos fregit; quid mirum videri debet, si mortifera venena, & alia ejusdem generis vincit, & superat? Hoc igitur in mente tua insculpe, animorumque nostrorum salutem amplectitur. Crux enim hæc orbem terrarum convertit, errorem expulit, veritatem revocavit, terram cœlum fecit, homines Angelos reddidit. Hinc dæmones non jam horribiles sunt, aut metuendi, sed contemnendi; neque mors est mors, sed somnus. Hæc abjecta sunt humi conculcataque omnia, quæ nobis adversantur.

℟. Hoc signum Crucis erit in cœlo, cùm Dominus ad judicandum venerit: * Tunc manifesta erunt abscondita cordis nostri, alleluia, alleluia.

℣. Cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, & cœperit judicare sæculum per ignem. Tunc. Gloria Patri. Tunc.

IN III. NOCTURNO.

Lectio vii.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem

Cap. 3.

IN illo tempore: Erat homo ex Pharisæis Ni-

Nicodemus nomine, princeps Judeorum. Hic venit ad Jesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus, quia à Deo venisti magister. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Ex Sermone 55.

SIcut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis. Unde si afflixus serpens lingno, filiis Israel contulit sanitatem, quantò magis salutem præstat populis Dominus in patibulo crucifixus? & si figura tantum profuit, quantum prodesse credimus veritatem? Serpens igitur primus crucifigitur. Rectè planè, ut, quia primus apud Deum peccaverat diabolus, primus Crucis sententia feriretur. In ligno etiam crucifigitur: rationabiliter factum, ut quia homo in paradiso per arborem concupiscentiæ deceptus fuerat, nunc idem per ligni arborem salvaretur: atque eadem materia, quæ causa mortis fuerat, esset remedium sanitatis.

℟. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinuit: * Quæ sola digna fuit portare pretium hujus sæculi, alleluia.

℣. Hoc signum Crucis erit in cœlo, cùm Dominus ad judicandum venerit. Quæ.

Lectio viii.

DEinde post serpentem in Salvatore homo ipse crucifigitur, scilicet ut post auctorem puniatur & facinus. Per primam Crucem vindicatum est in serpentem, per secundam in venena serpentis: hoc est primùm auctor ipse punitur, deinde ejus malignitas condemnatur. Virus enim, quod persuasione sua in hominem transfuderat, nunc rejicitur, nunc curatur. Nam cùm homo passioni addicitur, non morti

traditur, sed mortis in eo factinus emendatur. Hoc enim egit Dominus per hominem, quem suscepit, ut dum innocens patitur, prævaricationis illius diabolicæ in eo inobedientia corrigatur, & deinceps liber à culpa fieret, ac liber esset à morte. Habentes igitur Dominum Jesum, qui nos passione sua liberavit, in ipsum aspiciamus semper, & de ipsius signo superemus nostris vulneribus medicinam.

℟. Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis: * Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam, alleluia.

℣. Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Ut omnis. Gloria Patri. Ut omnis.

Nona lectio dicitur de Ss. Mm. Gordiano & Epimacho, & fit commem. illorum in Laudib. ut in Breviar.

Dominica ii. Julii.

Translatio secunda beatæ Eulaliæ V. & M.

Duplex majus.

Omnia de Communi Virg. & Mart. exceptis iis, quæ hic sunt propria.

Oratio.

DEus, qui inter cetera potentiæ tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti: concede propitius; ut qui beatæ Eulaliæ Virginis, & Martyris tuæ Translationem colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

Deinde fit commem. Dominicæ occurrentis.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones De Epistola prima beati Pauli Apost. ad Corinthios.

Ut in Communi Virginum.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

Ex Breviario Barcinonensi, & historiis.

CVm civitas Barcinonensis adeò & loci spatio, & habitantium numero crevisset, ut ejus matrix Ecclesia præ angustia ædificii, Christicolas omnes, ad eam convenientes capere nullo modo posset; cùm etiam beatæ Eulaliæ corpus in sacrario Ecclesiæ Barcinonensis inclusum, proprio, ac publico careret sepulchro, ubi à fidelibus preces, ac vota offerentibus, commodè visitaretur; Raymundus Berengarius Barcinonensium Comes, cognomento Senex (cui Deus Omnipotens & gloriosas de Mauris victorias concesserat, & multas opes largitus fuerat) unà cum Guislaberto Barcinonensi Episcopo, de templo maximo extruendo, deque sacello beatæ Eulaliæ ædificando, consilium iniit. Quocirca, divino invocato numine, & re maturè deliberata, locum ædificandi templi, ubi nunc est, elegerunt. Et rebus necessariis ad fabricam inchoandam paratis, primum lapidem, juxta Ecclesiasticum ritum, fundamentaque feliciter jecerunt.

℟. Propter veritatem.

Lectio v.

COnsepto igitur, & crescente ædificio, cùm illud esset magnæ molis, & formæ mirabilis, non potuit nisi post multos annos finiri. Quare postquam templum, quod nunc est maximum, atque speciosum, fuit omninò perfectum, & in honorem vivificæ Crucis Christi consecratum: capella sub altari maximo ejusdem templi artificiosè exædificata est, & nomine beatæ Eulaliæ dicata. In qua sepulchrum fuit extructum, & supra columnas convexa

ejus

ejus capellæ aleatæ erectum. Omnibus ergo hisce peractis, à Petro Aragoniæ Rege, & Ferrario Barcinonensi Episcopo, de corpore beatæ Eulaliæ, è sacrario in proprium ejus sacellum quàm primùm transferendo, deliberatum est, diesque decima Julii signata, qua opportunè transferretur.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

IGitur dicta die, cùm Petrus Aragoniæ, & Jacobus Majoricarum Reges, unà cum uxoribus suis Reginis: cùm etiam Bernardus de Albis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Ferrarius Barcinonensis Episcopus, simul cum multis aliis Prælatis, & personis clarissimis, ad sacri corporis beatæ Eulaliæ Translationem celebrandam convenissent, numerosissima utriusque sexus fidelium ordinata pompa, omni, quo potuit, sese studio celebritate, corpus beatæ Eulaliæ è templi sacrario extractum, & humeris Clericorum asportatum, in ejus sepulchrum, sexto Idus Julii anni millesimi trecentesimi noni fuit illatum. Vbi innumeris clarum miraculis, diù noctuque ardentibus multis lampadibus, in magna veneratione servatur. Et fidelium Christianorum ad sepulchrum confluentium numeroso concursu, beatæ virginis, & martyris Eulaliæ, continuis sacrificiis, atque orationibus, patrocinium invocatur. Hujus Translationis festum, decreto Episcopi Barcinonensis, celebratur in tota ejus Diœcesi, Dominica secunda Julii.

℟. Afferentur Regi.

IN III. NOCTVRNO.

Homilia S. Gregorii Papæ, in Evang. Decem virginibus, *&c. de Commu.*

Lectio 9. legitur de Homilia Dominicæ occurrentis, cum commem. ipsius in Laud. & in 2. Vesp.

Et fiunt commemorat. S. Annæ, Octavæ S. Iacobi Apostol. & S. Pantaleonis Martyr. Añæ, & ℣. de Eundib.

Die xxvii. Iulii.

In festo sancti Cucuphatis Martyris.

Duplex.

Quia hoc festum semper occurrit cum festo S. Iacobi Apostoli, ideò in Ecclesiis Diœcesis Barcinon. quæ non sunt dicatæ nomine S. Cucuphatis, semper transfertur in diem 27.

Omnia de Commu. martyris, exceptis iis, quæ hic sunt propria.

In 2. Vesp. S. Annæ à Cap. de S. Cucuphate.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut qui beati Cucuphatis Martyris tui natalitia colimus, intercessione ejus in tui nominis amore roboremur. Per Dominum.

IN I. NOCTVRNO.

Dicuntur Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

Ex Breviariis, Martyrolog. Prudentio, & historiis antiquis.

CUcuphas natione Afer, nobilibus, & Christianis parentibus in Scillitana urbe natus, unà cum Felice, in Cæsaream civitatem (quæ provinciæ Cæsariensis caput erat) ad litteras perdiscendas missus, magnos ibi in litteris; sed multò majores in fide, ac spiritu, cum suo comite fecit profectus. Cùmque utrumque ardens teneret amor martyrii, ambo in Hispaniam (ubi acerbissimam expectari adversus

Chris-

Christianos persecutionem intellexerunt) navigantes, magno Dei consilio Barcinonem appulerunt. Ibi intelligentes Dacianum præsidem, Christianorum inimicum, per Gallias in Hispaniam appropinquare, Felix vale dicens Cucuphati, primùm Emporias, deinde Gerundam profectus, tyranno obvius fieri voluit. Cucuphas autem Barcinone tyrannum expectare, & ad martyrium se jejuniis, & orationibus præparare decrevit. Quod sanè divinitus factum est: ut sic Gerunda sublimaretur Felice, & Barcino decoraretur Cucuphate. Vbi ergo crudelis Dacianus Barcinonem pervenit, mox ad eum Cucuphas (cujus fama propter vitæ sanctitatem, & verbi divini prædicationem, omnibus erat notissima) fuit delatus.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

QUamòbrem jussu Præsidis captus, & in carcerem conjectus, multisque modis, ut idolis sacrificaret, tentatus: cùm constans semper in fidei confessione persisteret, primùm Galerio Præfecto cruciandus traditur. Qui ferina rabie in Martyrem sæviens, duodecim fortissimis militibus jussit, ut eum per vices suas, tamdiu flagellis percuterent, & ungulis ferreis, atque scorpionibus dilaniarent, donec ab illo spiritum extorquerent. Quo tormento cùm jam corpus esset penè dilaniatum, & viscera in terram essent defluxa, Martyris oratione, tortores, Deo ultore, cæcitate percutiuntur, Galerius cum suis idolis, repentè consumptus periit: Cucuphas autem, visceribus in suum locum aptè restitutis, mirabiliter sanatur. Propter quod miraculum, mul-

multi, relicta idolorum superstitione, fidem Christi acceperunt. In locum Valerii, Maximianus suffectus, Martyrem jubet à tortoribus in craticula assari, & ejus ambustum corpus sinapi, atque aceto perfundi. Quo in tormento Cucuphas Deo psallens, divinitus ipse sanatur; tortores vero igne consumuntur.

℟. Desiderium animæ ejus.

Lectio vi.

VEruìm hæc dæmonum præstigiis adscribens tyrannus, ingentem ignis flammam parari, ibique Martyrem cremari imperat. In cujus medio intactus Martyr dum orat ad Deum, ita ejus oratione ignis extinctus est, ut nec tepor incendii ullus remanserit. Quare confusus Maximianus, in carcerem reduci Martyrem præcipit, ut quid consilii capiat, in nocte cogitet. Sed ipsa nocte cœlesti splendore Martyr mirificè recreatur, & custodes carceris, externo lumine, ad internam deducti lucem, in Christum crediderunt. Hoc ubi rescivit tyrannus, Martyrem virgis ferreis, & taureis ad mortem usque cædi jubet. Quo incruciatu omnis Cucuphas, ad ejus orationem, Maximianus, qui curru ascenso, ad templum idolis sacrificaturus, properabat, de curru in terram lapsus, miserè extinctus est; idola verò pariter collapsa in pulverem sunt redacta. Denique Maximiano succedens Rufinus, quasi in antecessoribus victus, non ultra contra Martyrem agere tormentis est ausus: sed lata sententia, Cucuphatem gladio feriri imperavit. Quare ignis, ferri, & tortorum immanitate superata, Cucuphas securi percussus insignem martyrii palmam octavo Kalendas

Au-

Augusti est consecutus. Cujus corpus, Barcinone primùm sepultum, posteà in Galliam translatum, & in Ecclesia sancti Dionysii, quæ non procul à Lutetia Parisiorum distat, reconditum est.

℟. Stola jucunditatis.

IN III. NOCTVRNO.

Homilia sancti Gregorii Papæ, in Evang. Si quis vult post me venire, *de 2. Communi.*

Lectio 9. dicitur de S. Pantaleone Mart. cum commem. Octavæ S. Iacobi Ap. & Pantal.

AD VESPERAS.

Fit commem. SS. Nazarii, Celsi, & Victoris Mart. & Innocentii Papæ, & Conf. & Octavæ S. Iacobi Apost.

Dominica i. Augusti.

Translatio sancti Severi Episcopi, & Martyris.

Duplex majus.

Si eadem die occurrat aliud Festum novem lectionum, transfertur in sequentem diem, non impeditam.

Omnia de Communi unius Mart. Pontific. exceptis his, quæ hic sunt propria.

Oratio.

DEus, qui nobis jugiter præstolantibus, beati Severi Martyris tui gloriosa pignora concessisti: da, ut tanti Præsulis nota præsidia sentiamus, cujus Translationis diem solemniter colimus. Per Dominum.

Deinde fit commem. Dominicæ occurrentis.

AD MATVTINVM.

IN I. NOCTVRNO.

Dicuntur Lect. de Actibus Apostolorum, Cap. 20. A Mileto Paulus mittens Ephesum, &c. *Vt in Commun. unius Mart.*

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

Ex Breviariis Barcinonensibus, & historiis.

CUm Martinus Aragoniæ Rex, virtutum in-

integritate, & Christiana religione verè illustris, alterius pedis interno grassante vulnere, graviter laboraret; jamque medicis, atque chirurgis, reliquò cruri, vitæque consulentibus, ejusdem pedis abscisso ex arte medica fuisset decreta: ad preces, & obsecrationes, tanquam ad efficacia remedia, quæ humanis multò sunt potentiora, convertere animum suum decrevit. Quare contrito corde, speque in Deum, atque Sanctorum patrocinium erectus: beatum Severum Episcopum, & martyrem Barcinonensem ex intimo affectu Rex pius suppliciter invocat; ut sibi corporis vitam, & sanitatem, ad Dei gloriam, ad regnorum suorum utilitatem, & ad regiæ suæ familiæ commodum impetret. Vota vovet, quibus multa se facturum in honorem sancti pontificis, & martyris Severi pollicetur. Episcopos, Clerum, virosque religiosos hortatur, ut, se ad id consequendum, orationibus suis adjuvent.

℟. Honestum fecit.

Lectio v.

HIs peractis, ecce per quietem sub mediæ noctis tempus, devoto Regi visus est adesse beatus pontifex Severus: qui placido vultu eum alloquens, bono esse animo jubet, sibique à Deo vitam dari, ac pedis sanitatem, integritatemque restituram iri denunciat. Hoc tam læto nuncio recreatus, tamque salubri medico æger fretus, somno postea expergefactus, eo prorsus morbo se, absque ulla pedis offensa, liberatum, & integræ sanitati restitutum sentit. Qua de re, quanta Rex ipse animi sui voluptate affectus fuerit: quanto beneficio omnes ejus subditi fuerint cumulati: quanta ejus-

ejusdem regia familia fuerit lætitia perfusa, non facilè quivis explicare poterit. Contestatæ id sunt immortales gratiæ, quas omnes Deo egerunt, qui gloriosus est in Sanctis suis, & sanctus in omnibus operibus suis: qui sperantes in se exaudit: contritis corde, humilibus, atque tribulatis adest, & eosdem à periculis opportunè liberat.

℣. Desiderium animæ.

Lectio vi.

TAnto ergo miraculo Rex Martinus admonitus, memor votorum, corpus beati Severi, quod servabatur in Cœnobio sancti Cucuphatis (cui olim Castrum Octavianum erat nomen) ubi sanctus Martyr fuerat coronatus, Barcinonem asportari decernit. Hac de re, cum Summo Pontifice per litteras, & per Oratorem suum diligentissimè agit, ut sacrarum reliquiarum Translationem à dicto loco, in Cathedralem Ecclesiam Barcinonensem, cujus Præsul extiterat, fieri concedat. Quod & facilè impetravit. Legatione etiam ad Cœnobium facta, prudentissimè modum præscribit, quo omnia, ad dictam Translationem pertinentia, componantur. Denique Cœnobio per liberalissimum Regem, magnis opibus in sui grati animi significationem locupletato, pridie Nonas Augusti, salutis nostræ anno millesimo quadringentesimo quinto, cum celeberrima pompa fuit beati Severi corpus in templum maximum Barcinonense transportatum. Cujus Translationis festum Dominica prima Augusti, quotannis in Ecclesia, & Diœcesi Barcinonensi, devotè celebratur.

℣. Stola jucunditatis.

IN

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

Ex Breviario Barcinonensi, & historiis.

CVm civitas Barcinonensis adeò & loci spatio, & habitantium numero crevisset, ut ejus matrix Ecclesia præ angustia ædificii, Christicolas omnes, ad eam convenientes capere nullo modo posset; cùm etiam beatæ Eulaliæ corpus in sacrario Ecclesiæ Barcinonensis inclusum, proprio, ac publico careret sepulchro, ubi à fidelibus preces, ac vota offerentibus, commodè visitaretur; Raymundus Berengarius Barcinonensium Comes, cognomento Senex (cui Deus Omnipotens & gloriosas de Mauris victorias concesserat, & multas opes largitus fuerat) unà cum Guislaberto Barcinonensi Episcopo, de templo maximo extruendo, deque sacello beatæ Eulaliæ ædificando, consilium iniit. Quocirca, divino invocato numine, & re maturè deliberata, locum ædificandi templi, ubi nunc est, elegerunt. Et rebus necessariis ad fabricam inchoandam paratis, primum lapidem, juxta Ecclesiasticum ritum, fundamentaque feliciter jecerunt.

℟. Propter veritatem.

Lectio v.

COnsiptio igitur, & crescente ædificio, cùm illud esset magnæ molis, & formæ mirabilis, non potuit nisi post multos annos finiri. Quare postquam templum, quod nunc est maximum, atque speciosum, fuit omnino perfectum, & in honorem vivificæ Crucis Christi consecratum: capella sub altari maximo ejusdem templi artificiosè exædificata est, & nomine beatæ Eulaliæ dicata. In qua sepulchrum fuit extructum, & supra columnas composita

ejus

ejus capellæ altare erectum. Omnibus ergo hisce peractis, à Petro Aragoniæ Rege, & Ferrario Barcinonensi Episcopo, de corpore beatæ Eulaliæ, è sacrario in proprium ejus sacellum quàm primùm transferendo, deliberatum est, diesque decima Julii signata, qua opportunè transferretur.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

IGitur dicta die, cùm Petrus Aragoniæ, & Jacobus Majoricarum Reges, unà cum uxoribus suis Reginis: cùm etiam Bernardus de Albis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Ferrarius Barcinonensis Episcopus, simul cum multis aliis Prælatis, & personis clarissimis, ad sacri corporis beatæ Eulaliæ Translationem celebrandam convenissent, numerosissima utriusque sexus fidelium ordinata pompa, omni, quæ potuit, festiva celebritate, corpus beatæ Eulaliæ è templi sacrario extractum, & humeris Clericorum asportatum, in ejus sepulchrum, sexto Idus Julii anni millesimi trecentesimi noni fuit illatum. Vbi innumeris clarum miraculis, diù noctuque ardentibus multis lampadibus, in magna veneratione servatur. Et fidelium Christianorum ad sepulchrum confluentium numeroso concursu, beatæ virginis, & martyris Eulaliæ, continuis sacrificiis, atque orationibus, patrocinium invocatur. Hujus Translationis festum, decreto Episcopi Barcinonensis, celebratur in tota ejus Diœcesi, Dominica secunda Julii.

℟. Afferentur Regi.

IN III. NOCTVRNO.

Homilia S. Gregorii Papæ, in Evang. Decem virginibus, &c. *de Commu.*

Lectio 9. legitur de Homilia Dominicæ occurrentis, cum commem. ipsius in Laud. & in 2. Vesp.

Et fiunt commemorat. S. Annæ, Octavæ S. Iacobi Apostol. & S. Pantaleonis Martyr. Añ, & ℣. de Laudib.

Die xxvii. Iulii.

In festo sancti Cucuphatis Martyris.

Duplex.

Quia hoc festum semper occurrit cum festo S. Iacobi Apostoli, ideò in Ecclesiis Diœces. Barcinon. quæ non sunt dicatæ nomine S. Cucuphatis, semper transfertur in diem 27.

Omnia de Commu. unius Martyris, exceptis iis, quæ hic sunt propria.

In 2. Vesp. S. Annæ à Cap. de S. Cucuphate.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut qui beati Cucuphatis Martyris tui natalitia colimus, intercessione ejus in tui nominis amore roboremur. Per Dominum.

IN I. NOCTVRNO.

Dicuntur Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

Ex Breviariis, Martyrolog. Prudentio, & historiis antiquis.

CUcuphas natione Afer, nobilibus, & Christianis parentibus in Scillitana urbe natus, unà cum Felice, in Cæsaream civitatem (quæ provinciæ Cæsariensis caput erat) ad litteras perdiscendas missus, magnos ibi in litteris; sed multò majores in fide, ac spiritu, cum suo comite fecit profectus. Cùmque utrumque ardens teneret amor martyrii, ambo in Hispaniam (ubi acerbissimam expectari adversus Chris-

Christianos persecutionem intellexerunt) navigantes, magno Dei consilio Barcinonem appulerunt. Ibi intelligentes Dacianum præsidem, Christianorum inimicum, per Gallias in Hispaniam appropinquare, Felix vale dicens Cucuphati, primùm Emporias, deinde Gerundam profectus, tyranno obvius fieri voluit. Cucuphas autem Barcinone tyrannum expectare, & ad martyrium se jejuniis, & orationibus præparare decrevit. Quod sanè divinitus factum est: ut sic Gerunda sublimaretur Felice, & Barcino decoraretur Cucuphate. Vbi ergo crudelis Dacianus Barcinonem pervenit, mox ad eum Cucuphas (cujus fama propter vitæ sanctitatem, & verbi divini prædicationem, omnibus erat notissima) fuit delatus.

℟. Honestum fecit.

Lectio V.

Quamòbrem jussu Præsidis captus, & in carcerem conjectus, multisque modis, ut idolis sacrificaret, tentatus: cùm constans semper in fidei confessione persisteret, primùm Galerio Præfecto cruciandus traditur. Qui ferina rabie in Martyrem sæviens, duodecim fortissimis militibus jussit, ut eum per vices suas, tamdiu flagellis percuterent, & ungulis ferreis, atque scorpionibus dilaniarent, donec ab illo spiritum extorquerent. Quo tormento cùm jam corpus esset penè dilaniatum, & viscera in terram essent defluxa, Martyris oratione, tortores, Deo ultore, cæcitate percutiuntur, Galerius cum suis idolis, repentè consumptus periit: Cucuphas autem, visceribus in suum locum aptè restitutis, mirabiliter sanatur. Propter quod miraculum, mul-

multi, relicta idolorum superstitione, fidem Christi acceperunt. In locum Valerii, Maximianus suffectus, Martyrem jubet à tortoribus in craticula assari, & ejus ambustum corpus sinapi, atque aceto perfundi. Quo in tormento Cucuphas Deo psallens, divinitus ipse sanatur; tortores vero igne consumuntur.

℟. Desiderium animæ ejus.

Lectio vi.

VEruìm hæc dæmonum præstigiis adscribens tyrannus, ingentem ignis flammam parari, ibique Martyrem cremari imperat. In cujus medio intactus Martyr dum orat ad Deum, ita ejus oratione ignis extinctus est, ut nec tepor incendii ullus remanserit. Quare confusus Maximianus, in carcerem reduci Martyrem præcipit, ut quid consilii capiat, in nocte cogitet. Sed ipsa nocte cœlesti splendore Martyr mirificè recreatur, & custodes carceris, externo lumine, ad internam deducti lucem, in Christum crediderunt. Hoc ubi rescivit tyrannus, Martyrem virgis ferreis, & taureis ad mortem usque cædi jubet. Quo in cruciatu omnis Cucuphas, ad ejus orationem, Maximianus, qui curru ascenso, ad templum idolis sacrificaturus, properabat, de curru in terram lapsus, miserè extinctus est; idola verò pariter collapsa in pulverem sunt redacta. Denique Maximiano succedens Rufinus, quasi in antecessoribus victus, non ultra contra Martyrem agere tormentis est ausus: sed lata sententia, Cucuphatem gladio feriri imperavit. Quare ignis, ferri, & tortorum immanitate superata, Cucuphas securi percussus insignem martyrii palmam octavo Kalendas

Au-

Augusti est consecutus. Cujus corpus, Barcinone primùm sepultum, posteà in Galliam translatum, & in Ecclesia sancti Dionysii, quæ non procul à Lutetia Parisiorum distat, reconditum est.

℟. Stola jucunditatis.

IN III. NOCTVRNO.

Homilia sancti Gregorii Papæ, in Evang. Si quis vult post me venire, *de 2. Communi.*

Lectio 9. dicitur de S. Pantaleone Mart. cum commem. Octavæ S. Iacobi Ap. & Pantal.

AD VESPERAS.

Fit commem. SS. Nazarii, Celsi, & Victoris Mart. & Innocentii Papæ, & Conf. & Octavæ S. Iacobi Apost.

Dominica i. Augusti.

Translatio sancti Severi Episcopi, & Martyris.

Duplex majus.

Si eadem die occurrat aliud Festum duplex lectionum, transfertur in sequentem diem, non impeditam.

Omnia de Communi unius Mart. Pontific. exceptis his, quæ hic sunt propria.

Oratio.

DEus, qui nobis jugiter præstolantibus, beati Severi Martyris tui gloriosa pignora concessisti: da, ut tanti Præsulis nota præsidia sentiamus, cujus Translationis diem solemniter colimus. Per Dominum.

Deinde fit commem. Dominicæ occurrentis.

AD MATVTINVM.

IN I. NOCTVRNO.

Dicuntur Lect. de Actibus Apostolorum, Cap. 20. A Mileto Paulus mittens Ephesum, &c. *Vt in Commun. unius Mart.*

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

Ex Breviariis Barcinonensibus, & historiis.

CUm Martinus Aragoniæ Rex, vir morum in-

integritate, & Christiana religione verè illustris, alterius pedis interno grassante vulnere, graviter laboraret; jamque medicis, atque chirurgis, reliquo cruri, vitæque consulentibus, ejusdem pedis abscisso ex arte medica fuisset decreta: ad preces, & obsecrationes, tanquam ad efficacia remedia, quæ humanis multò sunt potentiora, convertere animum suum decrevit. Quare contrito corde, speque in Deum, atque Sanctorum patrocinium erectus: beatum Severum Episcopum, & martyrem Barcinonensem ex intimo affectu Rex pius suppliciter invocat; ut sibi corporis vitam, & sanitatem, ad Dei gloriam, ad regnorum suorum utilitatem, & ad regiæ suæ familiæ commodum impetret. Vota vovet, quibus multa se facturum in honorem sancti pontificis, & martyris Severi pollicetur. Episcopos, Clerum, virosque religiosos hortatur, ut, se ad id consequendum, orationibus suis adjuvent.

℟. Honestum fecit.

Lectio v.

HIs peractis, ecce per quietem sub mediæ noctis tempus, devoto Regi visus est adesse beatus pontifex Severus: qui placido vultu eum alloquens, bono esse animo jubet, sibique à Deo vitam dari, ac pedis sanitatem, integritatemque restituram iri denunciat. Hoc tam læto nuncio recreatus, tamque salubri medico æger fretus, somno posteà expergefactus, eo prorsus morbo se, absque ulla pedis offensa, liberatum, & integræ sanitati restitutum sentit. Qua de re, quanta Rex ipse animi sui voluptate affectus fuerit: quanto beneficio omnes ejus subditi fuerint cumulati: quanta ejus-

ejusdem regia familia fuerit lætitia perfusa, non facilè quivis explicare poterit. Contestatæ id sunt immortales gratiæ, quas omnes Deo egerunt, qui gloriosus est in Sanctis suis, & sanctus in omnibus operibus suis: qui sperantes in se exaudit: contritis corde, humilibus, atque tribulatis adest, & eosdem à periculis opportunè liberat.

℟. Desiderium animæ.

Lectio vi.

TAnto ergo miraculo Rex Martinus admonitus, memor votorum, corpus beati Severi, quod servabatur in Cœnobio sancti Cucuphatis (cui olim Castrum Octavianum erat nomen) ubi sanctus Martyr fuerat coronatus, Barcinonem asportari decernit. Hac de re, cum Summo Pontifice per litteras, & per Oratorem suum diligentissimè agit, ut sacrarum reliquiarum Translationem à dicto loco, in Cathedralem Ecclesiam Barcinonensem, cujus Præsul extiterat, fieri concedat. Quod & facilè impetravit. Legatione etiam ad Cœnobium facta, prudentissimè modum præscribit, quo omnia, ad dictam Translationem pertinentia, componantur. Denique Cœnobio per liberalissimum Regem, magnis opibus in sui grati animi significationem locupletato, pridie Nonas Augusti, salutis nostræ anno millesimo quadringentesimo quinto, cum celeberrima pompa fuit beati Severi corpus in templum maximum Barcinonense transportatum. Cujus Translationis festum Dominica prima Augusti, quotannis in Ecclesia, & Diœcesi Barcinonensi, devotè celebratur.

℟. Stola jucunditatis.

IN

IN III. NOCTVRNO.

Homilia sancti Gregorii Papæ, in Evang. Si quis vult post me venire, &c. *de 2. Commun.*

Lectio 9. dicitur de Homilia Dominicæ occur. cum commem. ipsius ad Laud. & in 2. Vesp.

Die xiv. Septembris.

In festo Exaltationis sanctæ Crucis, Titularis Ecclesiæ Cathedralis Barcinonensis.

Duplex 1. classis cum Octav.

Omnia ut in Breviario, exceptis quæ sequuntur.

Ad primas Vesperas, & Laudes, nihil fit de Octava Nativ. B. M. V.

In secundis Vesp. fit tant. com. diei Octavæ Nativ. ut in 1. Vesp. festi.

DIE XV. SEPTEMB.

Officium fit duplex de Octav. B. M. V. cum 9. lect. S. Nicomedis. Et fit comm. S. Crucis, & S. Nicomedis.

In 2. Vesp. fit comm. Ss. Mm. Cornelii, & Cypriani, S. Crucis, & Ss. Mm. Euphemiæ, Luciæ, & Geminiani Martyrum.

DIE XVI. SEPTEMBR.

Officium fit de Ss. Mm. Cornelio, & Cypriano, cum 9. lect. Ss. Mm. Euphemiæ, &c. & fit comm. S. Crucis, ac Ss. Mm. Euphemiæ, &c.

In 2. Vesp. fit de S. Petro de Arbuès dup. cum com. Ss. Mm. Cornelii, &c. & S. Crucis.

DIE XVII. SEPTEMBR.

Fit de S. Petro de Arbuès Mart. dup. cum comm. Oct. In 2. Vesp. à Cap. fit de S. Thoma de Villanova Episcopo, & Conf. Alia prop. in utrisque Vesp. & Laud. cum comm. s. Petri, & Octav.

DIE XVIII. SEPTEMB.

Fit de S. Thoma de Villanova Episc. & Conf. Dup. cum comm. Oct. In 2. Vesp. à Cap. de Ss. Mm. Januarii

Digitized by Google

& Soc. cum commem. S. Thomæ, & Octav.

DIE XIX. SEPTEMBR.

Fit de sanctis Ianuario Episc. & Sociis Martyribus. Dup. cum comm. Octavæ.

In 2. Vesp. à Cap. fit de sanctis Martyribus Eustachio, & Soc. cum comm. Ss. Ianuarii, &c. & Octavæ.

DIE XX. SEPTEMBR.

Fit de Ss. Mm. Eustachio, & Soc. dup. & ad Matut. 9. Lect. de Homil. Vigil. S. Matthæi cum comm. Oct. & ejusdem Vigil. ad Laud. Si autem hæc Vigil. venerit in quatuor Temporibus, nihil fit de Vigil. nisi in Missa sed 9. Lect. legatur de Fer. quatuor Temp. cum ipsius com. in Laud.

In 2. Vesp. totum Offic. fit de S. Matthæo Ap. & Evang. cum com. Ss. Eustachii, &c. & Octavæ Exaltationis S. Crucis, ut in 1. Vesp. festi.

DIE XXI. SEPTEMBR.

Octava Exaltationis S. Crucis, Officium fit de S. Matthæo, ut in Brev. Rom. cum comm. Octavæ in utrisque Vesp. & Laud.

Die xxiii. Septembris.

In festo sanctæ Theclæ Virg. & Marc.

Duplex 1. class. cum Octava.

Omnia ut in novo Quatenno ab Alexandro VII. concesso.

DIE XXV. SEPTEMBR.

Recitatur ritu duplici de S. Maria de Cervellò dicta de Socòs Virg. ex Decreto facto in Curia Barcinon. 19. Septembr. 1695. juxta Bullam Gregorii XIII. in principio Quatenni Hispan. quia est naturalis hujus Diœces. cujus Corpus in Cœnobio B. M. de Mercede Barcin. facto cultu veneratur.

In 2. Vesp. B. M. de Mercede die 24. fit com. S. Mariæ de Cervellò, & Octavæ S. Theclæ.

Ad

Ad Laud. fit com. S. Thecla. ℣. Specie, & in 2. Vesp. additur comm. Ss. Mm. Cypriani, &c.

Die ii. Octobris.

In festo sancti Angeli Custodis.

Duplex majus in Civit. & Dupl. minus extra Civit.

Omnia ut in Breviario.

Die xxiii. Octobris.

Translatio prima sanctæ Eulaliæ Virginis, & Mart.

Duplex majus.

Omnia de Commun. Virg. & Mart. exceptis his, quæ hic sunt proprii.

Oratio.

DEus, qui inter cetera potentiæ tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti: concede propitius, ut qui beatæ Eulaliæ Virginis, & Martyris tuæ Translationem colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

IN I. NOCTVRNO.

Dicuntur Lectiones De Epistola 1. beati Pauli Apostoli ad Corinthios. *Vt in Communi Virginum.*

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

Ex Breviariis, & historiis antiquis.

JOanne octavo Summo Pontifice, & Carolo, Calvo Galliæ Rege, & Guifre Piloso Barcinonensium Comite, Sigebodus Narbonensis Antistes, cùm Barcinonem appulisset, Frondoino tunc Barcinonensi Episcopo, quanto flagraret desiderio corporis beatæ Eulaliæ investigandi, declaravit. Vt eo invento, & parte ejusdem aliqua sibi donata, Narbonæ templum Deo, & beatæ Eulaliæ nomine dicaret: in cujus altari reliquiarum partem re-

pos-

Digitized by Google

poneret. Nesciebatur post tot sæcula, à die mortis beatæ Eulaliæ, ubi sacrum ejus corpus requiesceret: ex hymno tamen quodam didicerant, extra civitatem in campo (ubi nunc extat beatæ Virginis Mariæ de Mari templum) conditum esse. Re igitur maturè consulta, devoti Præsules locum adeunt, & supplici oratione fusa, corpus, non parvo hominum laborantium, terramque fodientium adhibito numero, diligentissimè perquiri jubent. Triduum in laborando fossores multi, terram circumfodientes, consumunt: corporis autem, vel sepulchri ejus nec vestigium quidem ullum reperiunt. Qua de re mœsti omnes, præcipuè verò Præsules, à cœpto opere desistere constituunt. Atque Narbonensis vale dicens Barcinonensi Episcopo, Narbonam regreditur.

℟. Propter veritatem.

Lectio v.

POst dies aliquot, Frondoinus iterum ad sacras beatæ Eulaliæ inquirendas reliquias animum suum convertit. Quando autem eas humana non posse diligentia inveniri agnoscit: divinum præcipuè numen adeundum esse decernit. Quare triduanum jejunium cum eleemosyna, & publicas preces fidelibus indicit; ut pretiosum reliquiarũ thesaurum oculis hominum absconditum, Deus, cui nuda, & aperta sunt omnia, dignetur revelare. Triduo completo, Episcopus ad locum designatum pergit: Sacrum ibi facit: quo finito, totum locum orans circumit: pretiosum thesaurum studiosissimè quærit: baculo singulis passibus terram percutit: & dum tentat solicitè, si quid invenire valeat, quemdam sonitum in fora-

ramine, juxta parietem ex baculi percussione resultantem audit. Fossoribus, ut ibi fodiant, præcipit: sepulchrum reperit: repertum aperit. Ex quo adeò suavis efflabatur odor, ut omnis generis aromatum fragrantiam longè superaret. Magnus illicò cunctorum cum lætitia excitatur clamor. Venerabiles, sacrasque reliquias omnes videnc, atque adorant, & pro eis Deo gratias agunt. Episcopus, & Presbyteri psallentes, sacrum corpus de sepulchro extrahunt, & in feretro pretiosis pannis circumornato reponunt.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

IGitur solemni pompa virgineum corpus supra Clericorum humeros, inde versus civitatem deducitur. Sed ecce, ubi ad portam urbis ventum est, & tantisper ibi sistitur corpus adeò grave sentitur, ut subitò de humeris fuerit necessariò deponendum; adeòque immobile reddatur, ut nulla vi, seu arte, è terra valeat dimoveri. O quantus tunc, post tantam lætitiam, omnium animos invasit timor! Episcopus rei novitate perculsus genuflexus, omnes in genua procumbere, & jugiter Deum, beatamque Eulaliam obsecrare monet; ut quænam tanti miraculi causa sit, demonstret. Dum preces omnes fundebant, Clericus quidam suo scelere stimulatus, conscientiaque propria territus, Episcopo digitum, quem è virginis corpore surripuerat, restituit. Episcopus accepcum digitum, in loculo, ubi erat corpus, reponit. Et post preces ad Deum fusas constanci fide Presbyteros ad ferendum feretrum, ubi corpus erat, hortatur. Mira res, sacra illa sarcinula, adeò levis reddita est, ut ab eisdem fa-

facillimè portaretur. In cujus rei memoriam, lapis erectus, & beatæ Eulaliæ imago, supra illam urbis portam constituta, in hodiernum usque diem servatur. Itaque corpus in civitatem introductum, multis clarum miraculis, in sacrario Ecclesiæ fuit repositum. Hujus Inventionis, atque Translationis, quæ contigit die vigesimæ tertia Octobris, anni octingentesimi septuagesimi octavi, festum in Diœcesi Barcinonensi, annis singulis, & eodem ipso die religiosè colitur.

℟. Afferentur Regi.

IN III. NOCTVRNO.

Dicuntur Lectiones de Homilia 8. Gregorii Papæ super Evangel. Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, *ut in Communi Virg.*

In 2. Vesp. fit commemor. S. Raphaelis Archangeli.

Die vi. Novembris.

In festo S. Severi Episcopi, Mart. & Patroni totius Diœcesi Barcin.

Duplex 1. clas. cum Octava. Omnia dicuntur de Communi unius Mart. exceptis iis, quæ hic sunt propria.

Oratio.

DEus, qui hodierna die beati Severi Pontificis, & Martyris tui verticem effusione sui sanguinis consecrasti: da nobis ejus suffragantibus meritis; ut tranquillam in terris utriusque hominis pacem, & gloriam in cœlis, quam possidet, consequamur. Per Dominum.

Et non fit commem. Octavæ omnium Sanctorum, in utrisque Vesp. neque in Laud.

IN I. NOCTVRNO.

Dicuntur Lect. De Actibus Apostolorum, *cap.* 20. A Mileto Paulus mittens Ephesum, *de Commu. unius Mart.*

IN

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

Ex Breviariis, Martyrologiis, historiis, & aliis.

SEverus Barcinonensis Episcopus, vir vitæ integritate, & doctrinæ præstantia illustris, magnam Barcinone in Christiana fide servanda, atque augenda adhibuit operam. Elucebant enim in eo insignis prudentia, & castitas, humilitas cum magnanimitate, mansuetudo cum justitia, paupertas cum liberalitate conjuncta, & rerum humanarum contemptus. Præ cæteris autem ardens in Deum, & proximum amor: qui cum ad bonum animarum pro suo munere semper curandum, adeò reddebat solicitum; ut quasi sui immemor, memor autem Dei, omnia omnibus fieret, ut omnes lucrifaceret. Propter quod ab omnibus, tanquam pater amantissimus, & pastor optimus unicè diligebatur. Elucebat etiam & doctrina, qua fideles in sancto tuebatur proposito; infideles autem vel ad veram attrahebat fidem, vel certè adeò convincebat, ut eum maximè formidarent.

℟. Honestum fecit.

Lectio v.

HÆc Severi lux, cùm omnium ad se oculos allicere sua pulchritudine debuisset, infidelium animos malitia excæcatos graviter offendit. Quapropter infideles privatim, ac publicè Præsulem insectari, verbis lacescere, injuriis afficere, ac persequi aggressi sunt: utque, si quo modo possent, vel animum fraugerent, vel zelum reprimerent. Nihil tamen hæc invictum Severi movebant, vel deterrebant animum, quò minus acriter illos, & privatis convinceret colloquiis, & pu-

publicis coargueret concionibus. Post multas ergo fidei hostium superatas calumnias, & persecutiones, dum Severus suo fungitur munere, ecce infideles Barcinonem adventant, eumque omnino occidere machinantur. Hoc ubi deprehendit Episcopus, considerans persecutionem contra se potissimùm fuisse excitatam, nec ullum de fuga, vel absentia sua, ovibus inferri, seu imminere periculum; recordatus verbi Domini Jesu, qui dixit: Cùm persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam, providè in Castrum Octavianum (quod nunc oppidum est sancti Cucuphatis) unà cum quatuor sociis Presbyteris, clam decrevit se recipere.

℟. Desiderium animæ.

Lectio vi.

Verumtamen non potuit ejus fuga inimicos latere. Ubi ergo id maligni hostes intelligunt, mox armata manu illuc properant, Castrum circumdant, domos ingrediuntur, omnia diligentissimè perscrutantur. Severum Præsulem cum quatuor sociis Sacerdotibus, & cum colono Christiano dicto Emeterio eisdem adjuncto, reperiunt: vinculis eos omnes constringunt: multis pollicitationibus, & terroribus à vera fide abducere conantur. Ubi verò se nihil proficere vident, flagellis, & plumbatis eos atrocissimè cædunt: quo in tormento cùm eorum constantia, & in fide Christi gloriosa confessio magis crescceret, quatuor Presbyteri unà cum Emeterio jugulati gladio, palmam martyrii consequuntur. Severus autem, ut major illi accresceret patiendi, ac merendi occasio, præmiique retributio, iterum crudelissimè verberatur. Ac demùm, clavo capite

pite confosso, octavo Idus Novembris (quo die ejus festum celebratur) gloriosissimam martyrii coronam adipiscitur. Ejus corpus ibidem prius sepultum: posteà Barcinonem translatum, & in Cathedrali Ecclesia collocatum, magna totius Barçinonensis populi devotione colitur.

℣. Stola jucunditatis.

IN III. NOCTVRNO.

Homilia sancti Gregorii Papæ, *in Evang.*

Si quis vult post me venire, *de 2. commun.*

DIE VII. NOVEMBR.

Fit de 7. die Octav. Omnium Ss. cum commemor. Octav. S. Severi.

DIE VIII. NOVEMBR.

Octava Omnium Ss. Dup. cum 9. lect. Ss. Mm. 4. Coronat. & fit comm. S. Severi, & Coronator. In 2. Vesp. à Cap. de Dedicatione Basil. Salvat. & fit comm. Octavarum Omnium Ss. & S. Severi, ac S. Theodori Mart.

DIE IX. NOVEMBR.

Officium fit de Dedicat. Basil. Salvat. cum commem. Octavæ S. Severi, & S. Theodori Mart. Ãna. & ℣. de 1. Vesp. In 2. Vesp. commem. S. Andreæ Avellini, Octa. S. Severi, & Ss. Mm. Tryphonis, &c.

DIE X. NOVEMBR.

Officium fit de S. Andreæ Avellino, Semid. cum 9. l. Ss. Mm. Tryphonis, &c. cum S. Severi, & Ss. Mm. In 2. vesp. fit de S. Mariano Episc. & Conf. Dup. comm. S. Andreæ, Octav. S. Severi, & S. Mennæ Mart.

DIE XI. NOVEMBR.

Fit de S. Martino Episc. & Confes. Duplex, cum 9. lect. S. Mennæ Martyr. & commem. Octav. S. Severi, & S. Mennæ, Ãna. & ℣. de 1. vesp.

In

In 2. Vesp. fit commemor. S. Martini Papæ, & Martyr. de S. Severi.

DIE XII. NOVEMBR.

Fit de S. Martino Papa, & Mart. Semid. ut in Breviario Romano, cum commemor. Octavæ S. Severi, Ant. & Y de 1. vesp. ut in 2. vesp. fit de Octava S. Severi, ritu Dup. cum commemor. S. Martini Pap. & Mart.

DIE XIII. NOVEMBR.

Octava S. Severi, Duplex.

IN I. NOCTVRNO.

Dicuntur Lect. de Scrip. occurrente.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

Principes persecuti sunt me gratis, *de 2. Commu.*

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vii.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Cap. 16.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorii Papæ.

Homil. 32. in Evang.

TUnc ergo nosmetipsos relinquimus, cùm nos ipsos abnegamus, cùm vitamus, quod per vetustatem fuimus, & ad hoc nitimur, ad quod per novitatem vocamur. Pensemus, quomodo se Paulus abnegaverat, qui dicebat: Vivo autem, jam non ego. Extinctus quippe fuerat sævus ille persecutor, & vivere cœperat pius prædicator. Si enim ipse esset, qui priùs, pius profectò non esset. Sed qui se vivere denegat, dicat: Vivo autem, jam non ego. Unde & post sancta verba que per doctrinam Veritatis clamat, protinus subdit: Vivit verò in me Christus. Ac si apertè dicat: Ego quidem à meipso extinctus sum,

quia carnaliter non vivo; sed tamen essentialiter mortuus non sum, quia in Christo spiritaliter vivo.

℣. Corona aurea.

Lectio viii.

Dicat ergo Veritas, dicat: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum: quia nisi quis à semetipso deficiat, ad eum, qui super ipsum est, non appropinquat: nec valet apprehendere, quod ultra ipsum est, si nescierit mactare, quod est. Sic olerum plantæ transponuntur, ut proficiant; itaque, ut ita dixerim, eradicantur, ut crescant: sic rerum semina in terræ admixtione deficiunt, ut in reparatione sui generis uberiùs assurgant. Unde enim videntur perdidisse, quod erant, inde accipiunt hoc apparere, quod non erant.

℣. Hic est verè martyr.

Lectio ix.

Sed qui jam se à vitiis abnegat, exquirendæ ei virtutes sunt, in quibus crescat. Nam cùm dictum est: Qui vult post me venire, abneget semetipsum, protinus additur: Et tollat crucem suam quotidiè, & sequatur me. Duobus etenim modis crux tollitur: cùm aut per abstinentiam affligitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus.

Te Deum laudamus.

Die xviii. Novembris.

Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis Barcinonensis.

Duplex I. clas. cum Octav. in Civitate, & sine Octava extra illam.

Omnia de Commu. Dedic. Ecclesiæ, ut in Brev. Rom. Dedicatio verò Basilic. Ss. Petri, & Pauli transfertur in diem sequentem, festo novem Lect. non impeditam.

FINIS.

KA-

Digitized by Google

KALENDARIUM FESTORUM PROPRIORUM Ecclesiæ Cathedralis, & Diœcesis Barcinonensis.

JANVARIVS.

7. SAncti Raymundi Confessoris non Pontificis *Duplex majus, & missas* pag. 1.

FEBRVARIVS.

12. Sanctæ Eulaliæ Virg. & Mart. & Patron. *Duplex 1. classis cum Octava.* pag. 4.

MARTIVS.

6. Sancti Ollegarii Canonici, Præpositi, & Episcopi Barcinon. ac simul Arciepiscop. Tarraconen. *Duplex.* pag. 29.
9. Sanctæ Pariani Episc. & Conf. *Duplex.* pag. 33.
15. Sanctæ Matronæ Virg. & Mart. *Duplex.* pag. 35.

MAJVS.

3. Octavarium Inventionis S. Crucis. pag. 38.

IV.

Digitized by Google

2. Dominica 2. Translatio 2. beatæ Eulaliæ Virg. & Mart. *Duplex majus.* pag. 43.
27. Sancti Cucuphatis Martyris. *Duplex.* pag. 46.

AVGVSTVS.

1. Dominica Prima. Translatio S. Severi Episcopi, & Mart. *Duplex majus.* pag. 49.

SEPTEMBER.

14. Exaltationis S. Crucis Titul. Ecclesiæ Cathedralis Barcinon. *Duplex 1. clas. cum Octava.* pag. 52.
23. Sanctæ Theclæ Virg. & Mart. *Duplex 1. clas. cum Octava.* pag. 53.

OCTOBER.

2. Sancti Angeli Custodis. *Duplex.* pag. 54.
23. Translatio 1. S. Eulaliæ V. & M. *Duplex majus.* *ibid.*

NOVEMBER.

6. Sancti Severi Episc. & Mart. ac Patron. *Duplex 1. clas. cum Octava.* pag. 57.
18. Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis Barcinonensis. *Duplex 1. clas. cum Octava, & sine illa.* pag. 62.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA DE CATALUNYA
1001927533
BIBLIOTECA CENTRAL
A-26-8:
-451-
12°
Digitized by Google

Digitized by Google